Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.143/a

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.143/a

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.143/a

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.143/a

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.143/a

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.143/a



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.143/b

ALIA

Caroli Sigonii Errata

LONGE PLVRA, QVAM
Quæ nuper sunt edita,

IN EODEM COMMENTARIO
In Fastos, & Libro De Vita et rebus gestis
SCIPIONIS,

AB EODEM ANTONIO BENDINELLIO
Patefacta.

LVCÆ
Apud Vincentium Busdracum
1570.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.143/b

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.143/b

Antonius Bendinellius

CAROLO SIGONIO.

NVPER veritatis illustrandæ causa, honorisque mei tuendi necessitate compulsus errata permulta ad historiam Africani Minoris tantum pertinentia partim ex paginis sex tui Cõmentarij in Fastos, partim ex libro de Vita & rebus gestis Scipionis, collecta diuulgaui. Nunc autem quingẽta & amplius ex eodem Commentario, & libro, quæ, vt si iterum lacessierer, recens in arenam descenderem, mihi reseruaram: cum vt meas iniurias persequar, tum verò vt communi vtilitati consulam, edere statui. Nam cum à bonis, doctisque hominibus aliquam tuorum scriptorum te dignam, eoque Leone, quem in pugna Robortelliana te iactas, egisse, defensionem desiderari: teque id omninò præstare non posse intelligeres: tamen, vt aliquid dicere viderere, & dolori, quo grauissimo disrumperis non nihil mederere: primùm quædam in meis scriptis reprehendere, & ex ijs præsertim, quæ à me tibi fuerant obiecta: Deinde pauca ex tam multis tuis erratis defendere summa cum acerbitate verborum statuisti: & hæc omnia, vt in manus hominum absque tuo nomine peruenirent, malitiosè, ac turpiter curasti. Camillum enim Coccapanium hominem glorioſum, ad audendum maximè proiectum, mihique inimicissimum facilè impulisti: vt hunc tuum post duos annos egregium conatum sibi ascriberet, suum esse prædicaret, ac pro suo diuulgandum curaret, summo mehercule cum vtriusque dedecore. Nam, vt omittam, quòd ex ipso suppresso nomine facilè conijci potest, quale sit genus reprehensionis, atque defensionis tuæ, & quid viri probi, atque literati de vtriusque vestrum facto

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.143/b

ſint iudicaturi: cum me de te optimè meritum eſſe confeſſus fueris, ac literas ad me dederis: te nulla re magis in vita gloriari conſueuiſſe, quàm quòd me doctorem habueris: Coccapanium non ſolum à me alienaſti, & literis conuitiorum p'enis in me armaſti: ſed huius etiam tuæ libidinis, ac turpitudinis miniſtrum eſſe voluiſti: & is cum ab anno quarto ætatis ſuæ vſque ad duodecimum me humaniſſimo, atque amantiſſimo præceptore Mutinæ vſus fuerit: eaque ſub mea diſciplina bonarum literarum fundamenta iecerit, quibus adhuc facilè ſtetit, vitamque & ſpiritum duxit: vt quantum poſſet, me læderet, in inuidiam vocaret, & ipſe aliquid eſſe putaretur, libentiſſimè tuæ cupiditati mei vlciſcendi, doloriſque tui eo modo leniendi, morem geſſit. Qua in re me illud in primis conſolatur: quòd, dum & publicè, & priuatim me verborum contumeliis laceratis, dum ſcriptis petulantiſſimis, & mendacibus conſectamini, & omni prorſus dignitate ſpoliare conamini: omnium mortalium ingratiſſimi cognoſcimini. quo quid turpius, quid flagitioſius, & conſceleratius dici, aut excogitari poteſt? ſed hac de re pluribus, alio loco. Communis quoque vtilitas hoc in genere ſcriptionis multò magis mihi propoſita fuit, quàm tuæ iniuriæ. cum enim tua ſcripta permultis eſſe referta mendacijs, & flagitijs animaduertiſſem: hominis eſſe non probi ſolum, ſed pij etiam putaui ea publico ſcripto nota facere, atque eo modo non tam huius ætatis hominum, quàm etiam poſteritatis vtilitati quamprimum nulla neque laboris, neque impenſæ habita ratione, proſpicere: vt qui poſthac tuorum ſcriptorum teſtimonijs vti volent (quanquam cur velint non video) quid in eis ſequendum ſit, quid vitandum paruo labore, atque ſumptu ſcire poſſint. Quare non, vt hæc ſolum quam primum in manus hominum peruenirent, nunc operam dedi, ſed etiam, confutatis breui, vt ſpero, tuis contumelioſis, & malignis reprehenſionibus: atque ſimul vanitate, & malitia tuæ defenſionis demonſtrata (& ſi in his tuis erratis, vbi res, & locus poſtulabit, vtrunque faciam) conſtitui hac hyeme σὺν τῷ θεῷ, tum quod reliquum eſt tui Commentarij, tum reliqua, ſcripta omnia excutere diligentiſſimè, & quicquid probabile non videbitur, in lucem proferre, conſtitui. Tu interim hæc perlege: & ſi iſtum tuum primum in me conatum satis honorificè; ac proſperè tibi ceſſiſſe intellexeris, eadem, vt minitaris, tua defendendi, meaque reprehendendi ratione vtere. Sed iam nimium fortaſſe præfati ſumus, ad rem aggrediamur.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.143/b

Ad an. CDXXCVIII. Pag. 49.

VETVSTAS *integras nobis consulares, triumphalesque tabulas vsque ad secundum bellum Punicum reliquit*. Hoc est falsum. sunt enim integræ vsque ad an. v. c. DXXXI. At bellum secundum Punicum cæptum est, an. v. c. DXXXV.

Ad an. CDXXCXI. pag. 49.

In hunc annum consules edunt Ap. Claudium, Q. Fuluium, Cassiodorus, Eutropius, Orosius, Florus. Meus Eutropius, Orosius, Florus sic habent. Eutropius lib ii. Primum Ap. Claudio, Q. Fabio consulibus in Sicilia contra Afros pugnatum est. Paullus Orosius lib. iiii cap. vii. an ab v. c. CCCCLXXXIII. Ap. Claudio, Q. Fabio consulibus, Mamertinis Florus lib. ii. cap. ii. Populus, inquit, Romanus Ap. Claudio consule primum fretum ingressus est.

Ibidem.

Ap. Claudiũ Consulem, cui Sicilia obtigerat Mamertini ad se vocarũt. Poly. lib. i. ὕπατον στρατηγὸν ἄπιον κλαύδιον ἐξαπέστειλαν. id est. Consulem ducem Ap. Claudiũ in Siciliam emiserunt. Sitigitur missus fuit, non ei Sicilia obtigit, vt tu dicis, quod pertinet ad sortẽ.

Ibidem.

Ap. Claudius Hieronem prælio ita fregit, vt ipse relicta Messana se Syracusas receperit. Quid Sigoni de Carthaginiensibus hostibus sempiternis factum est? non ne & ipsi vnà cum Hierone Messanam obsidebant? nonne & ipsi die insequenti fusi; fugatique fuerunt, & Messana obsidione liberata?

Ibidem.

Priorem causam tradit etiam Eutropius. Hoc est falsum.

Ad an. CDXI.

Erbesus, quod erat horreum Populi Romani, ab Annone receptum. Pœni nihilominus fame oppressi ad summam dimicationem cum venissent, victi sunt. Hæc Polybius. Tu sententiam Polybii non es assecutus. qui lib. pri. πρῶτον μὲν inquit, προαξιοπίσας κατίσχε τὴν τῶν ἐρβησέων πόλιν; νὴ παρείλετο τὰς ἀγορὰς, καὶ τὴν τῶν ἀναγκαίων χορηγίαν τοῖς τῶν ὑπεναντίων στρατοπέδοις. id est. Primum quidem sollicitatis ciuibus vrbem Erbesorum proditione cepit; atque commeatus, & rerum necessariarum suppeditationem hostibus ademit. Primùm dicimus, illa, *Erbesus receptum*, non

cohærere

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.143/b

cohærere Deinde hæc, *quod erat horreum populi Romani*, temerè à te addita. quasi tum P. R. inde triticum Romam exportaret. Deinde quæro, quo modo receptum. Proditione, respondet Polybius. Postremò prorsus negamus Pœnos fame Agrigenti oppressos venisse cum Romanis in dimicationem. Nam Annibal, qui Agrigenti obsidebatur, & fame premebatur silentio noctis, Agrigento, vt scribit Polybius, clam cum suis aufugit; tantum abest, vt dimicauerit.

Ad an. CDXCIII.

Ibi ab Annibale Pœnorum duce conclusus, & captus est. Non vera dicis. Polybius, lib. primo prodit. ὁδὲ τῶν καρχηδονίων στρατηγὸς ἀννίβας ἀκούσας ἐν τῷ παρόρμῳ τὸ γεγονὸς ἐξαποστέλλει βοώδη τῆς γερουσίας ὑπάρχοντα ναῦς εἴκοσι δούς, id est Annibal aũt Pœnorũ dux audito, Panormi cõsulis aduentu, eò misit Boodẽ quendã Senatorem Carthaginiensem cũ viginti nauibus. & paulò infra. ὁδὲ καρχηδόνιοι τὰς γε ναῦς, καὶ τὸν στρατηγὸν ὑπεναντίων ὑποχείριον ἄγοντες παραχρῆμα πρὸς τὸν ἀννίβαν ἀπῆραν. id est. Carthaginienses autem secum naues abducentes, & hostium ducem captiuum cõfestim ad Annibalem redierunt. Ergo Cn. Cornelius à Boode, non ab Annibale, qui Panormi erat, conclusus fuit, & captus.

Ibidem.

C. *Duilius Pœnos nauali prælio congressus, deuicit, Annibal vix Carthaginem incolumis redijt.* Inuertis ordinem, & omnia perturbas. Tradit Polybius, Annibalem post nauale pugnam Panormum se recepisse; atque inde multò post cum illis nauibus, quæ prælio superfuerant, Carthaginem redisse, hoc est, post Aegestam ab Romanis obsidione liberatam, & Macellam vi captam, ac denique post interfecta ab Amilcare quatuor millia sociorum Romanorum, quæ quidem tu post Annibalis profectionem facta commemoras: & addis de tuo. *vix incolumis.*

Ad an. CDXCVII. *pag.* 51.

M. Atilius, & L. Manlius in agrum Carthaginiensem impetũ faciunt. Quid rei gesserint, tu referre non curas, ne ab instituto tuo discedas: quod est, vt vbi est opus breuitate multus sis: vbi verborũ multitudine, sis brevis. tradit Polybius, ipsos, neminẽ obuiam procedente, regionem populatos fuisse, multa domicilia incendisse, vim magnã quadrupedũ omnis generis, homines, supra XX. milia captos ad naues adduxisse, infra etiam hæc scribis, *Carthaginienses tribus*

ducibus

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.143/b

ducibus Asdrubali, Bostari, & Amilcari regionis præsidium tradunt. primum hæc, non tradit Phlybius. deinde, cur non explicasti pugnam Atilii secundam cum tribus Pœnorum ducibus?

Ad an. CDXCVIII. *pag.* 51.

Hoc probant Liuij verba, quæ sunt libro XX IIII. *Falsum est hoc Liuium eo in libro tradere.*

Ibidem pag. 52.

Igitur Aemilius Paullus, & Fuluius Nobilior consules audita captiuitate Reguli (inquit Orosius) & clade exercitus Romani trãsire in Africam cum classe CC. *nauium iussi Clupeam petunt. eò & Carthaginienses cum pari classe confestim venerunt. nec differri potuit nauale certamen* CIIII. *naues Carthaginiensium demersæ.* XXX. *cum pugnatoribus captæ. præterea triginta quinque millia militum cæsa sunt. Romanorum autem nouem nauibus deprehensis, mille centum periere milites. Consules Clupeæ castra posuerunt. cũ duõ Annones eò cum magno exercitu conuenissent, prælio cõmisso* IX. *millia militum perdiderunt. Post autem cum Romana classis ad Italiam prædis onustam remearet, infando naufragio euersa est. nã ex* CCC. *nauibus* CCXX. *perierunt.* LXXX. *vix abiectis oneribus liberatæ sunt. Amilcar cum exercitu in Numidiam, & Mauritaniã missus, postquam hostiliter in vniuersos egit &c.*

Cum tu eò impudentiæ, & arrogantiæ perueneris, vt omnia tibi in antiquis scriptoribus licere putes, ad omnium vtilitatem ista tua impudentia, & arrogantia est reprimenda ipsorum testimoniis. Quare, vt hoc commodius fiat, verba Orosii ex lib. iiii. cap. ix. vt se habent, afferam. Igitur Aemilius, inquit, Paullus, & Fuluius Nobilior consules audita captiuitate Reguli, & clade exercitus Romani transite in Africam cum classe CCC. nauium iussi Clupeam petunt. eò confestim Carthaginienses cum pari classe venerunt, nec differri potuit nauale certamen. CIIII. naues Carthaginiensium demersæ, triginta cum pugnatoribus captæ. præterea triginta quinque millia militum ex ipsis cæsa sunt. Romanorum autem nouem nauibus depressis, mille centum periere milites. Consules apud Clupeam castra posuerunt. Duo Annones Imperatores eò rursus cum magno exercitu conuenerunt, prælioque commisso nouem millia militum perdiderũt. Cum Romana classis prædis onusta ad Italiam remearet, in fando naufragio euersa est. nam de trecentis nauibus ccxx. perierunt, octoginta vix, abiectis oneribus

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.143/b

bus, liberatæ sunt. Amilcar dux Pœnorum cum exercitu in Numidiam, Mauritaniamque missus, post quam hostiliter, cruenteque in vniuersos egit &c. Orosius, depressis nauibus. tu, qui quotidiè vim, ac potestatem verborum latinorum, vsumque linguæ latinæ alios publicè doces, *deprehensis* scripsisti. cum longè aliud sit deprimere naues, ac deprehendere. ille apud Clupeam; tu *Clupeæ*; quasi Romani victores consueuerint post victoriam in vrbibus ponere castra. Orosius de trecentis, tu *ex trecentis*. omisisti hæc; *iterum, imperatores Pœnorum, dux Pœnorum, cruenteque, ex ipsis.* Loco mouisti propter numerum, credo, *eò confestim*. Hæc addidisti; *&, cum, post autem cum*. Atque cum Orosius scripserit cum classe ccc. nauium tuus librarius fecit cc.

Ad an. D. pag. 52.

Consules CLX. *nauibus in Siciliam inde in Africam transgressi vniuersam oram maritimam, quæ circa syrtes est, depopulati sunt. ignari autem locorum cum in syrtes impulissent, onera abijcere omnia, vt naues subleuarent, coacti, cum retro in Siciliam atque ex Sicilia in Italiam irent, cohorta tempestate* CL. *naues onerarias & prædam amiserunt. Itaque S. C. factum, ne amplius, quam* IX. *nauium classis ad subsidium Italiæ haberetur. Hæc Tolybius, Eutropius, & Orosius.* Cum meus Polybius nihil eiusmodi prodat, reliquũ est vt videamus an reliqui duo ista hæc narrent. Orosius lib. iiii, cap. ix. Seruilius, inquit Cœpio, & Sempronius Blæsus consules ducentis sexaginta nauibus ad Africã transgressi vniuersam oram maritimam, quæ circa Syrtes iacet, depopulati sunt, atque in superiora progressi, captis, euersisque ciuitatibus plurimis ingentem prædã ad classem deuexerunt. Inde cum ad Italiam redirent, circa Palinuri promontorium, quod à Lucanis montibus in altum excurrit, illisi scopulis centum quinquaginta naues onerarias, nobilemque prædam crudeliter acquisitã infeliciter perdiderunt. Eutropius lib. 2 Cn. inquit Seruilius Cœpio, & C. Sempronius Blæsus consules cũ ducentis sexaginta nauibus ad Africam profecti sunt, aliquas ciuitates ceperunt, prædam ingentem reducentes naufragium passi sunt circa Palmurum promontorium. Videamus nunc vtrum horum sis secutus. Orosius, & Eutropius cclx. naues produnt; *Tu* CLX. illi in Africam scribunt, *tu in Siciliam inde in Africam*. Orosius circa Syrtes iacet. *Tu circa Syrtes est.* Orosius in superiora progressi captis, euersisque ciuitatibus plurimis. Eutropius aliquas ciuitates

ceperunt

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.143/b

ceperunt. Tu hæc neglexisti omnia. illi circa Palinurum promontorium Romanos naufragium fecisse dicunt. tu nihil, sed pro his addidisti: *Ignari locorum cum in syrtes impulissent, onera abiicere omnia, vt naues subleuarent, coacti: Itaque S.C. factum ne amplius quam sexaginta nauium classis ad subsidiũ Italiæ haberetur.* deniq; Orosius cum ad Italiam redirent. *Tu arrogantissime cum retro in Siciliam, atque ex Sicilia in Italiam irent.* & audes scribere. Hæc Polybius, Eutropius, & Orosius? est ne hoc afferre scriptorum testimonia, an omnia peruertere, an omnia mendacijs refercire, & obscurare?

Ibidem 493. pag. 50.

Iussis nauibus omnibus ad fretum venire. Polybius lib. primo. γναῖος κορνήλιος συντάξας τοῖς ναυάρχοις, ἐπειδὰν καταρτίσωσι τὸν στόλον πλεῖν ὡς ἐπὶ τὸν πορθμόν. C. Cornelius imperauit nauarchis, vt vbi classem absoluissent, nauigarent tanquam ad fretum. num pestis veterum auctorum, naues habebant & audiendi, & veniendi facultatẽ? apud quem leges iubere naues venire? si Polybius, mandat, inquit, nauarchis: cur tu nauibus?

Ad An. DI. *pag.* 52.

Polybius Cottæ nomen omisit, victoriam autem his verbis expressit. Romani Thermam, & Liparas interea obsiderunt. Ego in hac tua versione nullam video expressam victoriam. viderem si recte Polybium conuertisses. tradit enim Cottam cepisse Thermam, & Liparam: tu verò obsedisse tantum. θέρμην inquit, lib. pri. μόνον, καὶ λίπαραν ἐξεπολιόρκησαν. Thermam verò, & Liparam obsidione expugnarunt. En græcè scientium deus. qui etiam, *Liparas* verti, cum vnius tantum insulæ sit proprium nomen.

Ibidem 52.

Frontinus lib. iiij. Cotta consul P. Valerium Pecuniolam sanguine sibi iunctum, quem obsidioni Liparitanæ ad auspicia repetenda Messanam transiturus, præfecerat, virgis cæsum militiæ munere inter pedites fungi coegit. quod eius culpa ager incensus, & penè castra erant capta. Attende Sigoni, an ea, quæ supra de tua singulari impudentia & audacia dixi, vera sint. Frontinus lib. iiii. cap. pri. P. inquit, Valerium sanguine sibi coniunctum quem obsidioni Liparitarum ipse ad auspicia repetenda Messanam transiturus, præfecerat, cum ager incensus & capta castra essent, virgis cæsum in numerum gregalium peditum referri, & muneribus fungi iussit. Ad

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.143/b

didisti de tuo, *Pecuniolam.* reliquisti, *in numerum gregalium peditum.* Frontinus sanguine sibi coniunctum; tu *iunctum.* Frontinus in medio posuit causam animaduersionis; tu in fine. Ille scribit castra fuisse capta, tu qui melius ea nosti, negas, cū dicis, *penè capta.*

Ad an. DIII. *pag.* 53.

Asdrubal cum altero consule cum parte copiarum Romam reuerso, solum Metellum Panormi se continere, audiret: ex Lilybæo in Panormitanum agrum irrupit. Metellus eum traiicientem flumen adortus maximè elephantorum quos in Romanos ille impulerat, in suos fuga, summo prælio superauit. Non dicit Polybius cum parte, cum vigintiquinque etiam milites pars esse potuissent, sed cum dimidia parte copiarum, his verbis μετὰ τῆς ἡμισείας δυνάμεως. id est cum dimidia copiarum parte. ad hæc, affirmamus auctore eodem Polybio, Metellum non in transitu fluminis, nec eo die, quo Asdrubal flumen traiecit; sed haud non multo post, propè in ipsis Panormi fossis cum Asdrubale pugnasse.

Ad An. DIII. pag. 53.

Hoc anno Romani, inquit Polybius, Metelli victoria elati, noua ædificata classe, & vetere refecta consules C. Atilium, & L. Manlium in Siciliam miserunt. Anno superiore nouas xl. naues, auctore Polybio Romani ædificarunt: & veterem refecerunt; & hoc anno consules cum cc. nauibus in Siciliam traiecerunt. quæ tu, qui Polybium profers, non tibi attingenda, putasti, vt nihil integri, nihil certi lectores habere possint.

Ad An. DIIII. pag. 54.

Verum quibus Romanis ducibus, ac quid quoque anno sigillatim gestum sit, memoriæ proditum non esse ait Polybius. Non rectè narras. Polybius prodit, permulta ibi præclara facinora, & à Romanis, & Carthaginiensibus edita. quæ tamen singillatim commemorare esset difficillimum, & causas huius difficultatis infra pluribus explicat. πολλοὺς, inquit, καὶ ποικίλους ἀγῶνας συνεστήσατο κατὰ γὴν σχεδὸν ἐπὶ τρισὶν ἐνιαυτοῖς περὶ ὧν οὐ νῦν διὰ τῆς γραφῆς τῶν κατὰ μέρος ἀποδοῦναι λόγον. id est. ibi multas, & varias pugnas per tres ferè annos commisit; quæ nullo modo singillatim explicari possunt. ex his Polybii verbis apparet. primum illa esse tua verba. *Quibus Romanis ducibus.* Deinde Polybium de se ibi loqui, nō de aliis historicis. Deinde, Polybius κατὰ μέρος ἀποδοῦναι: *sigillatim gestum sit.* dic obsecro, quid sit sigillatim gerere. Po-

stremò

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.143/b

stremò te imperitè me reprehendere, quòd apud Appianum, ἀγὼ νας ποικίλους, varia cetamina sim interpretatus. sed hac de re aliàs pluribus. Ad An. DXI. pag. 54.

C. Lutatio consuli cum iam Drepani portum, cæterasque, quæ circa Lilybeum sunt stationes in potestatem redegisset; Anno classis præfectus ad Amilcarem nauigans occurrit. ἀντίπρωρον, inquit Polybius, κατέστησε τοῖς πολεμοίοις τὸν στόλον. id est. Lutatius classem aduersis proris hostibus opposuit. Vides vt Lutatius occurrat Annoni, non Anno Lutatio? Nam Lutatius vt Polybius narrat, ad Egusam insulam nauigauit, vt Annonem eius rei ignarum inuaderet.

Ad An. DXII. pag. 55.

Pœni Sicilia, & omnibus insulis, quæ inter Italiam, & Africã sunt, excedunto, duo millia, & ducenta talenta in annos xx. pendunto, in præsens mille. Polybius lib. pri. οἱ καὶ παραγενόμενοι τῶν μὲν ὅλων οὐδὲν ἔτι μετέθηκαν, βραχεὰ δὲ προσεπέτειναν τοὺς καρχηδονίους. τότε γὰρ χρόνον τῶν φόρων ἐποίησαν ἢ μεῖον χίλιατε τάλαντα προσθέντες τῶντε νήσων ἐκχωρεῖν καρχηδονίους προσεπέταξαν ὅσε μεταξὺ τῆς ἰταλίας κεῖνται καὶ τῆς σικελίας. id est. Atque legati vbi in Siciliam venerunt nihil de summa rei immutarunt, sed tempus pendendi argenti coarctarunt, ac insuper mille talenta addiderunt: atque Carthaginienses omnibus insulis excedere, quæ sunt inter Italiam & Siciliam. & lib. iii. ἐκχωρεῖν καρχηδονίους καὶ τῶν νήσων ἁπασῶν τῶν κειμένων ἰταλίας μεταξὺ, καὶ σικελίας. ἐξενεγκεῖν καρχηδονίυς ἐν ἔτεσι δέκα δισχιλία καὶ διακοσία τάλαντα παραυτίκα δοῦναι χίλια. id est excedere Pœnos Sicilia, atque omnibus insulis iacentibus inter Italiam, atque Siciliam. duo millia & ducenta talenta in annos decem pẽdere, in præsentia mille. Duo hic sunt tua errata, nec parua. vnum, cum dicis *quæ sunt inter Italiam & Africam*: alterum, cum ais, *in annos xx.* scribendum enim fuit inter Italiam, & Siciliam, & in annos decem. sed videamus Eutropium, & alios, quos testes affers, an idem quod tu dicant. Eutropius lib. ii. Carthaginienses sanè sub hac conditione cum Romanis pacem fecerunt, vt eis per continuos viginti annos persoluerent argenti puri tria millia talentorum. Orosius lib. 4. cap ix. pro impensis bellicis puri argenti tria millia talentorum Euboicorum æquis pensionibus per annos xx. penderent. Tibi cum Orosio, & Eutropio conuenit in numero annorum, non conuenit

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.143/b

in numero talentorum. In conditionibus à Lutatio prolatis erant talenta duo millia, & ducenta, & anni xx. sed decem legati mille talenta addiderunt, & decem annos detraxerunt.

Ad an. DXVIII. pag. 56.

Itaque Orosius etiam ita scripsit, T. Manlio Torquato C. Atilio Bulbo consulibus Sardinia rebellauit, auctoribus Pœnis. mox subacta est. Sed eis pacem supplicantibus, tandem concessa est, & Velleius ita. Sardinia inter primum, & secundum bellum Punicũ ductu T. Manlij Consulis certum accepit Imperium. Meus Orosius lib. iiii. cap. xii. hæc habet T. Manlio Torquato, C. Atilio Bulbo Sardinia rebellauit auctoribus Pœnis, vnde mox Sardi subacti, & oppressi sunt. Carthaginiensibus autem violatoribus pacis, quam ipsi poposcissent inferri bellum decretum est. contra Carthaginienses suppliciter pacem poposcerunt: & cum bis missis legatis, nihil profecissent, post etiam decem principibus bis æque supplicantibus nec impetrarent, nouissimè Annonis minimi inter legatos oratione meruerunt. Sic nos illudis Sigoni? *pacem supplicantibus*, barbarum. Velleius, certum imperii iugum: tu certum imperium. num tantam vim habet?

Ad an. DXX. pag 56.

Maximi cognomen Fabius ab auo accepit, non ipse primus inuenit. Plutarchus in Fabio tradit, à quodam Fabio Rutiliano viro amplissimo, atque splendidissimo, & ob id Maximo à Romanis appellato, quartum in ordine fuisse hunc Q. Fabium Maximum. quæ si vera sunt, non potuit, id cognominis ab auo accepisse.

Ibidem pag. 56.

Notat idem Plutarchus, Q. Fabium non solum in primo consulatu de Liguribus triumphasse, sed ex nulla ipsum vnquam pugna nisi ex ea, ex qua triumphauit, victorem excessisse. Plutarchus, Πέντε δ' ὑπατειῶν, ἃς ὑπάτευσεν, ἡ πρώτη τῶν ἀπὸ λιβύων θρίαμβον ἔσχεν ἡττηθέντες γὰρ ὑπ' αὐτοῦ μάχη, καὶ πολλοὺς ἀποβαλλόντες εἰς τὰς ἄλπεις ἀνεστάλησαν, καὶ τὴν πρόσοικον ἐπαύσατο τῆς ἰταλίας ληιζόμενοι, καὶ κακῶς ποιοῦντες. id est quinquies consul fuit, & in primo consulatu de Liguribus triumphauit. nam prælio superati amissis multis ex suis in alpes se receperunt, atque Italiæ fines depopulari, atque incommodis afficere desierunt. Ego non puto ex his verbis id quod tu ais, elici posse, quôd ex nulla pugna victor excesserit Fabius. Plutarchus eam posuit pugnam, qua est debellatum.

Vt

Ad an. DXXV. pag. 57.

Vt dum superbè Reginæ agenti superbius multo legatus alter Romanus respondisset. Polybius lib. ii. ὁδὲ νεώτερος τῶν πρεσβευτῶν δυσχεράνας ἐπὶ τοῖς εἰρημένοις ἐχρήσατο παρρησίᾳ καθηκούσῃ μὲν οὐδαμῶς δὲ πρὸς καιρόν. Alter legatorum iunior indignatus oratione Reginæ, magnanimum ille quidem, seque dignum dedit responsum, sed ad tempus nullo modo accommodatum. Vides quam sine causa, *superbius multo*, addideris? quamque multa omiseris necessaria? Ibidem.

Apoloniam in potestatem redegerunt. Polibius τούτων ἀποδεξαμένων. his in fidem acceptis. hoc est Apolonia in fidem accepta. Ibidem.

Quo metu perculsi Dyrrhachini, atque alij populi, se Romanis tradiderunt. Hoc penè totum est falsum. quid enim Dyrrhachini timerent à Romanis, qui eò venerant, vt ipsos obsidione liberarent? quo facto eos Romani in amicitiam receperunt, auctore Polybio, qui etiam tradit consules permulta oppida vi cepisse; tantum abest, vt alii populi se illis tradiderint.

Ad an DXXXIII. pag 60.

Demetrius consultis aduentu cognito Dimalum præsidio, & commeatu munit. ex reliquis Illiricis oppidis amicis Romanorum exactis, ac suis impositis cum selectis militibus veteranorum Pharum contendit. Ne que vera dicis, neque Polybium intellexisti. hæc enim tradit lib. iii κατὰ δὲ τοὺς αὐτοὺς καιροὺς Δημήτριος ἅμα τῷ συνιέναι τὴν ἐπιβολὴν τῶν ῥωμαίων παραυτίκα μὲν εἰς τὴν Δίμαλον ἀξιόχρεω φρουρὰν εἰσέπεμψε, καὶ τὰς ἁρμοζούσας ταύτῃ χορηγίας ἐκ δὲ τῶν πόλεων λοιπῶν τοὺς μὲν ἀντιπολιτευομένους ἐπανείλετο τοῖς δ' αὐτοῦ φίλους ἐνεχείρισε τὰς δυναστείας. id est. Hoc vero tempore Demetrius audito apparatu, atque conatu Romanorum statim quidem in oppidũ Dimalum firmum præsidium immisit, & commeatum ibi idoneum: sed ex reliquis oppidis homines diuersæ factionis eiecit, suisque amicis eorum administrationem dedit. Hæc sunt tua errata, quòd ante Demetrius hæc fecit, quam Aemilius consul in Illyrium traiecisset. tu vero post fuisse facta scribis. quod ἐπιβολὴν. aduentum interpretatus fuisti imperitè. quòd ἀντιπολιτευομένους amicos Romanorum reddidisti, contra verbi vim atq; naturam. cum præsertim multi esse possent non amici Romanis, quos suspectos Demetrius haberet.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.143/b

Ibidem.

Pharo opido capto. Polybius lib. iii. φάρον κατέσκαψε Pharum funditus euertit.

Ad An. Dxxxv. pag. 60.

Bellum à Romanis Annibali, nisi Sagunto abstineret, per legatos indictum. Hæc Polybius. Nullus est qui hoc prodat, nedum Polyb. qui Carthaginiensibus indictum fuisse bellum tradit, non Annibali, post captum Saguntum. de legatis in Hispaniam missis ante excidium Sagunti hæc Polybius lib. iii. ῥωμαῖοι δὲ πλειονάκις αὐτῶν παρακηκοότες τότε πρεσβευτὰς ἐξαπέστειλαν τοὺς ἐπισκεψομένους ὑπὲρ τῶν προαπεσπόντων. id est Romani post multos Saguntinorum nuncios tum legatos in Hispaniam miserunt, ad ea speculanda quæ ibi ab Annibale gesta fuerunt. en coryphæus historicorum.

Ad An. Dxxxvii. pag. 62

Casilinum, postremò Annibal, absente dictatore, recepit. Nemo ex tuis verbis perciperet vnquam, Annibalem accepisse Casilinum in deditionem iis conditionibus, quas persequitur Liuius lib xxii.

Ad An. Dxlii. pag. 63.

Cum Senatus Campanorum deligatus esset ad palos. Liuius lib. xxvi. cum producti Campani deligarentur ad palum. Liuius Campani; tu *Senatus Campanorum*; ille ad palum, tu *ad palos*: Liuius deligarentur; tu *deligatus esset*. ò arrogantiam singularem, nonne hoc est auctores bonos in ordinem redigere?

Ibidem.

Cum Senatus Campanorum deligatus esset ad palos, vt securi feriretur, literas à Senatu missas, Q. Fuluius, quibus iubebatur parcere, antequam legeret, in sinu posuit, & legi agi iussit, & supplicium peregit. Liuius libro xxvi. Fuluius cum in tribunali consedisset, productique Campani deligarentur ad palum, eques citus ab Roma venit; literasque à C. Calpurnio prætore Fuluio cum tradidisset, murmur à tribunali totam concionem peruasit, deferri rem integram ad patres de Campanis; & Fuluius id ita esse ratus acceptas literas neque resolutas cum in gremio reposuisset, præconi imperauit, vt lictorem lege agere iuberet. immortalis Deus quænam est hæc tua impudentia. natus es mehercule ad optimorum auctorum scripta peruertenda, & omninò labefactanda, Liuius deferri rem integram ad Senatum: tu *quibus iubebatur parcere*. Liuius acceptas literas, neque resolutas cum in gremio reposuisset:

tu

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.143/b

tu, *in sinu posuit*. ille, Fuluius præconi imperauit, vt lictorem lege agere iuberet. tu, *& lege agi iussit*. Liuius, de iis quoque suppliciũ sumptum est. tu, *& supplicium peragit*. quasi ipse Fuluius lictoris officio perfunctus fuerit. num est hoc centonem vitare? Eodem etiã in loco, post multa de triumpho Marcelli à te prodita, sic ais: *Liuius & Plutarchus*; cum omnia ex Liuio sumpseris, nihil ex Plutarcho. Ad An. DXLVIII. pag. 65.

Scipioni consuli extra sortem Sicilia, & xxx. rostratæ naues decretæ. Nominatæ, inquit Liuius lib. XXXVIII. prouinciæ consulibus sunt, Sicilia Scipioni extra sortem cõcedente collega, qua cura sacrorum Pontificem maximum in Italia retinebat. Cum legimus alicui decretam prouinciam, id à Senatu factum intelligimus sine vlla sortitione. tum fuissent sortituri prouincias consules, nisi cura sacrorum in Italia Crassum retinuisset.

Ad An. DXLIX. pag. 65.

Legatis Romanis Mater Idea tradita est per Attalum Regem Asiæ, ac Romam deportata. Lapis erat, quem matrem deum incolæ vocabant. excepit eam P. Scipio Nasica vir optimus à Senatu iudicatus adolescens nondum quæstorius, quoniam ita responsum fuerat, vt numen id ab optimo viro reciperetur, consecraturque Ludi Megalenses ei deæ primum instituti sunt, vt fierent pridie idus Aprilis. Quot in his paucis sint tua flagitia, quantaque arrogantia, ostendam, si potero. Primùm dicimus, potuisse te eius explicandæ historiæ labore supersedere; vel cum tibi explicandam putaris, non debuisse, tam obscura vti breuitate, verbisque mutatis, inuertere sententias. Deinde quærimus vndenam Dea Romam deportata fuerit, Liuius libro XXXIX. Pessinunte scribit. Deinde, vbi eam P. Scipio accepit, an ipse Romam deportarit, quò ea perlata fuit, vbi collocata, quo die, quod fuerat illud responsum, à quo datum nihil enim horum nos doces. Doceat Liuius, quem tibi dilacerandum proposuisti. P. inquit, Cornelius cum omnibus matronis Ostiam obuiam iræ Deæ iussus: isque eam de naui accipere, & in terram elatam tradere ferendam matronis; postquam nauis ad hostium amnis Tiberini accessisset, sicut erat iussus, in salum naue euectus ab sacerdotibus deam accepit, attulitque in terram. Matronæ primores ciuitatis accepere, per manus, succedẽtes deinceps aliæ aliis omni effusa ciuitate, obuiam thuribulis ante ianuam positis, qua præferebatur, atque accenso thure, precantibus, vt volens propitiaque:

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.143/b

pitiaque vrbem Romam iniret. in ædem victoriæ, quæ est in Palatio pertulere deam pridie idus Aprilis, isque dies festus fuit. Populus frequens dona deæ in palatium tulit, lectisternium & ludi fuere Megalesia appellata. de responso hæc etiam prodit. Legati Asiam petentes protinus Delphos cum excendissent, oraculum adierunt, responsumque esse ferunt. Cum Romam deam deuexissent, tum curarent, vt eam, qui vir optimus Romæ esset, hospitio acciperet. iam perpendamus reliqua. cum dicis ***Ludos Megalenses ei deæ instituto fuisse, vt fierent pridie idus Aprilis***. bis peccas, semel quod non dicis, tum fuisse factos; iterum cum Megalenses, pro Megalesia scripseris. quæ quantum à Megalensibus differant, ego te docebo si fuerit opus, vel Cicero potius. Liuius, hospitio reciperet: tu ***reciperetur consecrareturque.*** Sine causa, & imperitè. quasi egeret, cum esset dea, vlla consecratione.

Ibidem.

Legati Locros missi, vt Scipionem si ea, quæ Locrenses facta querentur, iussu aut voluntate Scipionis facta comperissent, de prouincia decedere iuberent, si Scipio in Africam traiecisset, inde reducerent. Non necessaria de more scribis. necessaria negligis. nam de M. Pomponio prætore Siciliæ, cui potissimum a Senatu id negotii datum fuerat, nihil prorsus. nihil de duobus Tribunis plebis, sine quorum sacrosancta potestate, Scipio, si prætori, & legatis parere noluisset, non poterat, ex Africa reduci, nihil de Aedili, à quo erat prehendendus. siquis neget, legatos non habuisse ius reducendi Scipionis, quid tu respondeas? in has difficultates incidis, dum vbi non est opus es nimium breuis. Sic Liuius lib. xxxix. rem totam explicat, vt lectores intelligant, quanta fides sit adhibenda tuis scriptis. Sibi placere M. Pomponium prætorem, cui prouincia Sicilia sorte euenisset, triduo proximo in prouinciam proficisci; consules decem legatos, quos iis videretur, ex Senatu legere, quos cum prætore mitterent, & duos Tribunos plebis, atque Aedilem. cum eo consilio prætorem cognoscere. si ea, quæ Locrenses facta queantur, iussu, aut voluntate Scipionis facta essent, vt eum de prouincia decedere iuberent: si P. Scipio iam in Africam traiecisset, Tribuni plebis, atque Aedilis cum duobus legatis, quos maximè Prætor idoneos censuisset, in Africam profiscerentur: Tribuni, atque Aedilis qui reducerent Scipionem: legati, qui exercitui præessent donec nouus Imperator ad eum exercitum veniisset. & paulò post

Tribuni

Tribuni plebis cum prætore, & decem legatis profecti, iisque Aedilis plebis datus est, quem, si aut in Sicilia prætoris dicto audiens non esset Scipio, aut in Africam traiecisset, prehendere Tribuni iuberent: ac iure sacrosanctæ potestatis reducerent.

Ibidem.

Pleminius Romam translatus in carcerem conditus est. Liuius. lib. xxxix. Pleminium, & ad duos & triginta homines damnarunt, atque in catenis Romam miserunt. num est hoc vitare centonem historiæ? imperitos docere? translatus Romam, non probo, cum fere ea transferantur, quæ per se ire non possunt.

Ibidem pag. 65.

Siphax accepta in matrimonium filia &c. Hæc omnia ante facta fuere, auctore Liuio, quam Scipio è Sicilia in Africam traiecisset tu autem vt ordinem perturbes, sine quo historia consistere non potest, vt post facta, narras.

Ibidem pag. 66.

Massanisa, ad Scipionem cum ducentis equitibus cum venisset Annonem Pœnorum ducem intercluſum occidit. Quis intelligat ex his verbis Scipionem interfuisse, imò rem perfecisse? Liuius lib. xxxix. Scipio, inquit: cum Romano equitatu secutus, tegentibus tumulis, qui opportunè circum viæ flexus oppositi erant, occultus processit. Massanisa ex composito nunc terrentis, nunc timentis modo aut ipsis obequitabat portis, aut cedendo temerè eliciebat. Primum incautè se inuehentes Massanisa excipiebat. mox plures simul conferti porta effusi æquauerant certamen. Postremò iam omnis æquitatus prælio cum adesset: sustinere vltra nequiuere Non tamen effusa fuga Massanisa, sed cedendo sensim impetus eorum excipiebat, donec ad tumulos tegentes Romanum equitatum protraxit. inde exorti equites, & ipsi integri viribus, & recentibus equis, Annoni, & Afris pugnando, ac sequendo fessis, se circum fudere, & Massanisa flexis subito equis in pugnam redit. Primum fermè, qui primi agminis fuerant, vt quibus haud facilè receptus fuit, cum ipso duce Annone intercluſi atque interfecti sunt. Ergo Scipio, & ipsius equitatus non solum prælio interfuere, sed etiam ante quam Massanisa in pugnam rediisset, se hostibus circum fudère vt his potius, quam Massanisæ ea sit ascribenda victoria, & mors Annonis.

Ibidem.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.143/b

Scipio aduentu Asdrubalis, & Syphacis, qui propè cum centum millibus armatorum, se obtulerant, ab obsidione Vticæ depulsus hiberna communiuit. Non est depulsus Scipio ab Vticæ obsidione, sed propter instantem hyemem inde abscesit. Scipio, inquit, Liuius. cum quadraginta fermè dies nequicquam omnia experiens obsedisset Vticam, abscedit inde irrito incæpto. Iam enim hyems instabat. Ibidem.

Consul postero die Pœnos fudit, fugauitque ac supra quattuor millia armatorum cæcidit. Addam, quæ omisisti, vt nihil certi, nihil integri habeatur. paulò minus trecenti viui capti, equi quadraginta, & vndecim militaria signa.

Ibidem de Censoribus.

Censa cum his CCXV. millia hominum, condidit Lustrum C. Claudius Nero. Erant inter hos censores nobiles inimicitiæ. ex quibus mira in ipsa censura contentio exarsit. Censa sunt, inquit Liuius CCLXV. millia hominum. sed vnde nam habuisti, vt essent tum nobiles illæ inimicitiæ inter Censores? num ex Liuio? At cita, inquit, Nero M. Liuium & sine ex residua, & vetere simultate, siue intempestiua iactatione seueritatis inflatus &c. num ex epitoma? At sic habet. inter Censores M. Liuium, & C. Neronẽ nobilis discordia fuit. vnde igitur? ex tua innata arrogantiæ officina. At dices omnia peruerto, atque labefacto, vt centonem vitem. video.

Ad an. DL. pag 66.

Seruilio Etruria, ac Liguria euenit. & Paulo infra de eodem C. Seruilius Consul nulla re memorabili in Etruria, & Gallia gesta Patrem C. Seruilium post XVI. annum ex seruitute recepit. In primo loco *Etruria, & Liguria: in secundo Etruria, & Gallia:* atque hoc facis, vt omnia certa detrahendis necessariis, incerta reddas. Prouincia Seruilii erat Etruria, sed is iniussu senatus, in Galliam etiam transierat. Consul, inquit Liuius, C. Seruilius nulla memorabili re in prouincia Etruria. & Gallia (nam eò quoque processerat) gesta, patre C. Seruilio, & C. Lutatio patruo ex seruitute post XVI. annum receptis, qui ad vicum Tanetum à Boiis capti fuerant. hinc patre, hinc patruo latera circundantibus; priuato magis quàm publico decore insignis Romam redit. Hæc situ integra trã scripsisses, & scrupulum, & causam quærendi ademisses. cur etiam de patruo Seruilii reticuisti? ne credo, centonem conficeres.

M. Ser-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.143/b

Ad an. DLI. pag. 66.

M. Seruilius Etruriam sortitus. In ea prouincia C. Seruilio prorogatum imperium. Hæc, nisi aliquid addas, esse eodem tempore nō possunt: vt in eadem prouincia iniussu Senatus, sit consul, & proconsul cum imperio. Prorogatum fuit imperium Seruilio sub conditione. quam tu tanquam non necessariam neglexisti. hæc fuit. Si consulem remorari ad vrbem Senatui placuisset.

Ibidem pag. 66.

Annibal tentata cum Scipione pace, nec impetrata prælio extremo victus est. Hui tam paucis rem tantam? cur nō saltem numerum cæsorum hostium, & captiuorum, & quædam alia cognitione dignissima es persecutus? vel librum saltem, vnde peti possent. indicasti? sis multus in explicando quicquid tertio bello punico ad Carthaginem, quicquid ad Numantiam gestum fuit: in nugis, in citandis sepè vnius scriptoris tribus eadem de re, aut quatuor locis, vel tribus, aut quatuor scriptoribus ostentationis tantum causa. Infra etiam ad an. DLII. in enumerandis pacis conditionibus per multas omisisti. sed quid dico infra? nullum est penè fœdus, cuius tu leges omnes explices.

Ad an. DLXIIII. pag. 69.

Senatus consultum in M. Acilij sententiam factum. cur factum? quòd Antiochum, & Aetholos vicerat, auctore Liuio.

Ibidem.

Aetoli, diu iactati tandem vt ad conditiones pacis conuenirent effecerunt. Dic publicè profitentium coryphæe, qui conuenirent? ignoras? Liuius te doceat, quem vt corrumperes, ad, particulam addidisti. Diu, inquit, iactati Aetoli, tandem, vt conditiones pacis conuenirent, effecerunt.

Ididem.

Fuluius Ambracienſibus pacem petentibus dedit. Aetoli diu iactati, vt ad conditiones pacis conuenirent effecerunt. Ergo te auctore, duplex est data pax, altera Ambracienſibus, altera Aetolis. quod Liuius lib. xxxvii. his verbis factum negat. Ambracienſes prius pacti, vt Aetolorum auxiliares sine fraude emitterent. & paulò infra. Hæc quanquam spe ipsorum aliquanto leuiora erant, petentibus Aetolis, vt ad concilium referrent: permissum est. & paulò post. Eodem tandem legati Aetolorum venerunt: inde posteaquam pacem concilium Aetolorum accepit, iussit proficiſci Romam. & ite

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.143/b

rum. Diu iactati Aetoli (nempè in Senatu) tandem vt conditiones pacis conuenirent, effecerunt. fuerunt autem hæ. Puto iam satis ex his perspicuum esse, vnam tantum fuisse pacem. nam ea, quæ pacti sunt Ambracienses cum Fuluio consule, primum delata sunt ad concilium Aetolorum, quæ cum concilium probasset, legati redierunt ad consulem ad Agros Amphilochium: inde iussi sunt proficisci Romam ad Senatum, Senatus eas tulit leges pacis, quas Liuius ibi diligentissimè explicat: & tu transcripsisti, sed non omnes.

Ibidem 70.

Cn. Manlius consul ad singula Gallorum oppida, Attalo rege ducente, arma circuntulit. Hæc omnia sunt tua somnia, quòd ad nulla Gallorum oppida consul arma circuntulit. quod Attalus iuuenis ascitus fuerat, belli socius, non tantum dux itineris, vt hæc Liuii verba ostendunt: Attalum igitur Manlius fratrem Eumenis accersit à Pergamo: hortatusque ad capessendum secum bellum pollicentem suam, suorumque operam domum ad comparandum copias dimittit, paucos post dies profecto ab Epheso consuli ad Magnesiam occurrit Attalus cum mille peditibus, equitibus c c. Athæneo fratre iusso cum cæteris copiis subsequi. hæc Liuius. At ego miror, te omnis antiquitatis peritissimum regem appellare hunc Attalum cum Eumenes frater eius rex esset; vt multis in locis Liuius, & Strabo lib. xiii. testatur. Miror etiam te hic omisisse triumphum nauale L. Aemilii Regilli. de quo hæc apud Liuium leguntur. Per eosdem dies L. Aemilio Regillo, qui classe præfectum Antiochi Regis deuicerat, extra vrbem in æde Apollinis cum Senatus datus esset, auditis rebus gestis eius, quantis cum classibus hostium dimicasset, quot inde naues demersisset, aut cepisset, magno consensu patrum triumphus nauali est decretus. triumphauit kal. Februariis.

Ibidem pag. 70.

Pacis Antiocho datæ leges fuerunt. Hic tu permultas de more tuo illius pacis leges non commemoras. sed hoc feratur. illud vix ferri potest. quòd verum fœdus ictum cum Antiocho per C. Manlium, & decem legatos omisisti: & eas tantum pacis leges, quas Africanus illi tulerat, atulisti. quas etiam si Senatus comprobauit, misit tamen in Asiam decem legatos, qui vnà cum C. Manlio consule fœdus perficerent: quod à Scipione inchoatum fuerat. de qua re sic Liuius lib. xxxviii. Ibi ex x. legatorum sententia fœdus in hæc

verba

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.143/b

verba cum Antiocho conscriptum est. & infra eodem in lib. Ante alios contra dixerunt L. Furius Purpureo, & L. Aemilius Paullus, legatos se Cn. Manlio datos pacis cum Antiocho faciendæ, fœderisque, & legum, quæ cum L. Scipione inchoatæ fuissent, perficiendarum.

Ibidem.

Cum Asianis ita pactum. Vide tu lector per tuam nobilitatē has conditiones apud Liuium lib. xxxviii. & cognosces, quàm hic homo omnia conciderit, perturbauerit, atque obscurauerit. ego quoniam permulta sunt, ea omitto.

In Scholis in lib. xxi. Liuius. *ἐν παρόδῳ.*

Hoc bellum cum mercenarijs militibus per quinquennium in Africa Carthaginienses post primū bellum Punicum. auctor Polyb. lib. i. Per tres annos, & quatuor menses & eo in loco prodit Polybius.

Ad an. DLXVI. pag. 70.

Africanus citatus absens morbum excusauit. Et hoc falsum est. nam, vt inquit Liuius, maior animus, & natura erat, quam, vt id faceret. sed L. Scipio, qui vbi dies venit, citatique Africanus absens est ceptus, morbum causæ esse, cur abesset excusauit. Hæc Liuius lib. xxxviii.

Ibidem pag. 70.

M. Fuluius Nobilior consul, qui aduersus Aetolos, vt dixi, missus, prælijs frequentibus victos, & in Ambraciam oppidum coactos in deditionem accepit. Ostende tu illa frequentia prælia. ostende, qui Aetoli in Ambraciam coacti fuerunt. & concedam te non esse mendacem.

Ibidem pag. 70.

Cn. Manlius Vulso consul ad ordinandam Scipionis Asiatici prouinciam, & fœdus cum Antiocho scribendum missus. Somnia, & hæc tua. Cum Liuius hac de re ne verbum quidem. immò Manlius cum in Asiam profectus est, nihil adhuc certi de victoria Scipionis Romam fuerat allatum, vt Liuius lib. 37. tradit.

Ibidem 70.

Manlius Pisidas, Gallo græcos, Tolistobogios, Tectosagas, & Trocmos, qui Brenno duce in Asiam transierunt, in potestatem adduxit. Primum nego, eos, quibuscum bellum gessit Manlius venisse in Italiam cum Brenno: Deinde Brennum in Asiam peruenisse.

Consules

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.143/b

Ad an. DLXVIII. pag. 70.

Consules in Ligures profecti sunt. Liuius lib. xxxix. Q. Marcium tantum profectum tradit. Sed cur nihil de rebus ab eo ibi prospere gestis? ita etiam infra ad an. DLXIII. de Ap. Claudio, & Sempronio Tuditano: *Vterque, ais, in Liguribus rem gessit*; & quomodo? quasi res non gesserint memoratu dignas.

Ad an. DLXVIII. pag. 72

C. autem Valerius Læuinus consul iam diu cupidus prouinciæ Ligures, & ipse sortitus est: quibus bellum faciebat, Q. Petilius collega eius. diuisis autem copijs cum ipsi bellum gerere communi animo in diuersas profecti regiones cæpissent: Petilius in acie occisus est. C. Valerius audita morte collegæ accurisse creditur, atque rem præclare gessisse. Hæc Liuius. Primum videamus quot omiseris adeò necessaria, ut sine iis intelligi non possint ea, quæ ipse affers. Deinde quæ impudenter addideris; tum quàm accurate Liuium legeris. qui libro xli. eodem, inquit, paucis post diebus C. Valerius consul venit. Ibi diuisis copiis priusquam dimicarentur, communiter ambo exercitus lustrauerunt. tum sortiti, quia non ab eadem vtrunque parte aggredi hostem placebat, regiones, quas peterent. profecti inde in diuersas regiones Petilius aduersus Balistæ, & Leti iugum; quod eos montes perpetuo dorso inter se iungit, castra habuit; duabus simul partibus subire in aduersos montes cæpit. ea pars in qua ipse erat, impigrè succedebat: alterum hostes cum propulissent, rem inclinatam consul equo aduectus suos quidem a fuga reuocauit. ipse dum incautius ante signa obuersatur cecidit. C. Valerius audita. Hæc Liuius sine quibus, quis intelligat, consules sortitos fuisse regiones; quas peterent? quo in loco Petilius, & cum quibus Liguribus pugnauerit? illa addidisti. *Ligures & ipse sortitus est*. Item. *Morte collegæ accurisse creditur, atque rem prospere gessisse*. quæ non solum Liuii non sunt, sed ne esse quidem debuerunt. quid enim erat, cur illuc Valerius accurreret, cum milites Petiliani, sine duce, hostes deturbassent, montes cepissent. & victoriam consecuti fuissent? *Valerius, inquis, iam diu cupidus prnuinciæ*. Hanc Liuius prouinciæ cupiditatem Petilio tribuit, his verbis. Q. Petilius cos. collegam qui extemplo magistratum occiperet, creauit C. Valerium. is iam diu cupidus prouinciæ cum opportunæ cupiditati eius literæ allatæ essent, Ligures rebellasse nouis sextilibus &c. Is refert Petilium:

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.143/b

lium. nam si Valerium Liuius inrelligere voluisset, potius, qui, vt puto, quam, is, dixisset. Deinde Petilius literas ad C. Claudium Proconsulem, ne absente se debellaretur, misit, vt ad se cum exercitu in Galliam veniret. Postremo Petilius prior in prouinciam profectus est. quæ quidem omnia hominis ostendunt prouinciæ cupiditatem.

Ad an. DLXXX. pag. 73.

Vterque autem in consulatu Ligures sortitus est. Postumius ne prouinciam quidem suam vidit. Non dicit Liuius lib. xlii. utrumque consulem fuisse sortitum prouinciam. Sed Ligures, ait, utrique decreti sunt. neque enim sortitione opus erat, cum in eandem prouinciam mitterentur. Liuius causam ponit quamobrem Posthumius prouinciam non viderit, quod scilicet in agris recognoscendis æstatem consumpserit. tu tibi ponendam non putasti.

Ad an. DLXXXII. pag. 73.

P. Licinius equestri prælio à Rege Perseo victus est. Vtrinque omnibus copiis fuisse pugnatum, sed equites egregiam eo die nauasse operam testatur Liuius lib. xlii.

Ibidem.

Lucretius prætor Aliartum vi cepit. Vrbs, ait Liuius, diruta est à fundamentis.

Ibidem.

Iterum Licinius cum Perseo congressus feliciore euentu equestri pugna conflixit. Certarunt & pedites, & præsidium, quod erant homines octingenati, & leuis armatura.

Ibidem.

C. Cassius cum per Illyrium in Macedoniam alienam prouinciam exercitum duxisset, à Senatu reuocatus est. Liuius tres legatos Senatum misisse, qui Cassium ubicunque esset, persequerentur, eiq; nunciarent, ne bellum cum uila gente moueret, nisi cum qua Senatus gerendum censuisset, apertissimè narrat. de reuocatione nihil prorsus.

Ad an. DLXXXVI. pag. 74.

Leges Macedoniæ dedit cum tanta cura: vt non hostibus victis sed socijs benemeritis dare videretur. Hæc reliquistri cognitione maxime digna. & quas nec usus longo tempore, qui unus est legum corrector experiendo augeret.

Ibidem pag. 74.

Inde

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.143/b

Inde in Epirum cum traiecisset, opidorum, quæ Perseum iuuerant circa lxx. muros dirvit. Putasti homo peritus regionum. Paulum ex Macedonia in Epirum nauigasse. quod est falsum. & Paulus, muros vrbium, quæ ad Persea defecerant, dirui imperauit. tu, *quæ iuuerant, scripsisti.*

Ibidem.

Paulus ipse post paucos dies, quam Epiri vrbes diruerat. Paulus auctore Liuio lib. xlv. post paucos dies quam in Italiam venit, ad vrbem ea naui est subuectus; non post dirutos vrbium Epiri muros. Ergo temerè ea verba addidisti.

Ad an. DXCVIII. pag. 77.

Frontinus certè eam victoriam Scipioni tribuit lib. iij. cap. vi. idque consilium Scipioni in eius vrbis expugnatione adscribit: quod Appianus Figulo: cum ait: P. Cornelius Scipio intellecta difficultate expugnandi Delminium, quia omnium concursu defendebatur aggredi alia oppida cæpit. Quis vnquam ex his Frontini verbis intelligat Scipionem expugnasse Delminium? non ne dicit intellecta difficultate expugnandi Delminium, Scipionem aggredi alia oppida cæpisse?

Ad an. DC. pag. 77.

Cum Segida Areuacum oppidum muros vrbis extrusisset. Apianus in Iberica. σεγήδη πόλις ἐστί κελτιβήρων τεῖχος ἐ τεσσαράκοντα σταδίους κύκλῳ περιεβάλλετο. ἣδὲ σύγκλητος πυθομένη τὸ τεῖχος ἀπηγόρευε τειχίσειν. id est Segeda vrbs Celtiberorum muros vrbis reficiebat in circuitu quadraginta stadia patentes. id cum Senatus audisset, muros extruere interdixit. Male igitur dixisti, extruxisset. non dum enim muros absoluerant, cum Nobilior illuc est missus. & frustra prohibuisset Senatus, ne facerent, si iam absoluissent opus. ἀρουακτῶν. vertisti Areuacum. Areuaci Plinio sunt in citeriore Hispania: Segeda in vlteriore.

Ibidem.

Itaque cum eadem causa ad bellum alios etiam populos accendisset. Nugæ tuæ. nihil enim eiusmodi tradit Appianus.

Ad an. DCII. pag. 78.

Appianus item multa oppida Celtiberum Marcellum in deditionem redegisse; Et hoc falsum. nam Appianus Ocilem tantum vrbem expugnasse scribit.

Ibidem.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.143/b

Appianus scribit Marcellum circumsessa Numantia rem ante Luculli aduentum composuisse. Si circunsideo, est circundo, obsideo. vel obsidione cingo, imperitè conuertisti hæc Appiani verba Μάρκελλος δὲ ἐπὶ νομαντίαν ἐχώρει καὶ πέντε στοδίους ἀπόσχων παρεστρατοπέδευεν. Marcellus autem contra Numantiam profectus quinque stadia procul ab vrbe castra posuit.

Ibidem.

Appianus item scribit, P. Scipionem vltro se ad militare munus suscipiendum quodcunque delatum esset obtulisse. Hoc tam est falsum, quam quod falsissimum. Sed quatuor versibus supra scribis *P. Cornelius Aemilianus processit, & excepturus se militiæ genus, quodcunque imperatum esset, professus est*. & paulò infra. *ibi P. Scipio Aemilianus L. Pauli filius Africani nepos, sed adoptiuus*, & ad an. DCVI. *hic Scipio Paulli Aemilij filius adoptatus a P. Cornelio Scipione Africani filio vnde ipse Africanus Minor, & Aemilianus appellatus est*. Quis te ferat?

Ad an. DCV. pag. 80.

L. Piso cum ad singulas vrbes arma circumtulisset, frustra consumpta æstate, Vticam in Hiberna concessit. Non vera dicis. vrbem enim cepisse, & diripuisse tradit his verbis Appianus. ὁ πίσων πόλιν ἑτέραν δ' ἐγγὺς ἕιλεν, ἣν διήρπασεν, sed aliam vrbem Clupeæ proximam cepit, atque diripuit. sed die tu quid est factum de L. Marcio classis præfecto?

Ad an. DCIIII. pag. 79.

Inter Catonem & Nasicam varijs certatum est sententijs. Hæc ex epit. xlix. vbi ita scriptum est. inter M. Porcium Catonem, & Scipionem Nasicam diuersis certatum est sententiis. Tu, qui te deum literatorum facis, sic bonos auctores corrumpere audes? Cato dicebat delendam esse Carthaginem, Nasica negabat. sententiæ erant diuersæ hoc est contrariæ, tu ne in centonem incideres, dixisti varius de duabus sententiis contrariis.

Ibidem.

Carthaginiensibus euocatis primum arma tradere, classemque comburere. Cur reliquisti CCC obsides nobilissimos pueros, quos tum Carthaginienses dederunt? cur omnia instrumenta belli?

Ibidem.

Manilius pedestribus copijs præfectus est. Ergo te auctore nulli erant equites. Appianus ad quatuor millia equitum fortissimorum fuisse prodit.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.143/b

Ibidem.

Perægrè id Scipio patiebatur. Peræg e nusquam leges amplificator optimè.

Ibidem.

Cum autem promotis copijs, ad ipsa Asdrubalis castra per tria ferè stadia peruenissent. Apianus ὡς δ' ἀπὸ σταδίων τριῶν ἐγένοντο τοῦ Ἀσδρούβα, cum iam tribus stadijs ab Asdrubale abessent. Tu addidisti, *promotis castris, & ferè*: vt Appianum corrigeres. & sine exemplo dixisti, *peruenissent ad castra per tria stadia*.

Ibidem. pag. 79.

De receptu suorum cogitans, se anxio esse animo dixit, ea verò res sollicitum Scipionem habebat: quod alio tempore, atque alio ordine in Asdrubalem mouendum esse censebat. App ἐνέκειτο δὲ τότε, καὶ μηχανὴς ἄλλης ἐπὶ τὸν Ἀσδρούβαν δεομένου. id est, tum vero instituit, atque consuluit, vt retrocederent tanquam alio tempore, & aliis artibus contra Asdrubalem esset opus. videsnè, quam luxuries? quaque absis ab Appiano?

Ibidem.

Romanos sibi occasionem ad eos adoriendos vel maximam daturos, ad eos, imperitè pro ad se.

Ibidem.

Quod se equitum numero inferiorem esse non ignorabat. App. πολὺ πλείονας ὄντας. id est, quòd longè plures essent. num equitum facit mentionem? quasi Asdrubal equitibus tantum oppugnaret Romanos.

Ibidem.

Suos se à maximis periculis obsidionis eripuisse. quis hoc tibi dixit? quot nam erant illa pericula? quis, Asdrubalem diligentissimè sepeliisse Romanos? hæc etiam infra scribis. *vt incredibile videretur virtutem cuiusquam aut maioribus, aut grauioribus laudibus celebrari*. Hæc est tua amplificatio contra leges historiæ. nec ego dixissem *grauioribus laudibus*, quòd nusquam legi graues laudes. nec, *affici grauioribus præconiis*, vt infra.

Ibidem. 81.

Quos deinde secuti cæteri magno periculo euaserunt, eo prælio ad noctem vt dixi dirempto. Attende quid prodat Appianus. τότε γὰρ ὁ στόλος ἅπας τὸν νοῦν σιδηρῶν ὄρρωντες τε, καὶ μιμούμενοι πολλὰ τοὺς ἐχθροὺς ἔβλαπτον καὶ τὸ ἔργον ἐς νύκτα ἐτελεύτα.

Tunc

Tunc enim reliqui omnes astutiam Sidetorum videntes, eamque imitantes, multos hostes incommodis affecerunt, & in noctem certamen perduxerunt. Num Appiani sententiam expressisti? quod nam fuit illud magnum periculum, quo euaserunt? *prælio ad noctem dirempto, si ne auctore dixisti.*

Ibidem 83.

Scipio in spem maximam Carthaginis potiundæ adductus portum ipsum Cothonis aggredi statuit, putabat enim eo propugnaculo superato, præsidioque deiecto reliquas se vrbis partes in suam potestatem esse nullo fermè negotio redacturum. Hæc omnia tua sunt, & sine iudicio addita portum enim appellas propugnaculum, & præsidium, quo deiecto esset Scipio reliquas ciuitatis partes in suam potestatem redacturus, cum id nemo dicat, nec verisimile sit in ea re tum constitisse Carthaginis facilem expugnationem.

Ibidem. 83.

Reliquus in vrbem exercitus accersitus est. Falsum est hoc.

Ibidem.

Interea, qui in arce erant vrbis direptione, ac deorum ira perculsi cum se in extremum casum adductos, nullamque spem salutis sibi reliquam esse viderent. Verisimilia hæc quidem sunt, sed tua omnia; vt etiam hæc. *Seque ad eius pedes abiicientes, fidem, ac misericordiam eius implorare cæperunt.*

Ad an. DCVIII. pag. 83.

Viriathus milites dispersos abire iussit admonitos quem in locum vellet conuenire. atque ita copias Romanorum et loci iniquitatem sparso exercitu, deinde recollecto euasit. Appianus in Iberico, ὁ δ' ὑριάθος πάντας ἐκταξας ἐς μετώπον ὡς ἐπι μάχη τους μὲν ἄλλους ἐκελεύσεν ὅταν αὐτὸς ἐπιβῇ τοῦ ἵππου διαιρεθέντας ἐς μέρη πολλὰ φεύγειν ὡς δύνανται κατ' ἄλλα, καὶ' ἄλλος ὁδοὺς ἐς τριβόλαν πόλιν ἔνθα αὐτὸν περιμένειν. Viriathus, omnibus in fronte instructis, tanquã pugnaturus, reliquis imperauit, vt cũ ipse in equũ ascendisset, diuisi in multas partes per alias, atque alias vias vt possent Tribolam vrbem fugerent, ibique se expectarent. Appianus locum posuit, quo fugerent: tu neglexisti; & pro eo addidisti, *loci iniquitatem*, & ingeniosè. hæc enim gesta sunt in planitie. item, *sparso exercitu, & recolecto*: & imperitè. nam cum collegit (si tamen collegit) iam euarserant; sed non collegit. ipse milites Tribolam ante ipsum conuenerunt, dicis *atque ita euasit*. quo modo? respon-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.143/b

des, *sparso & recollecto exercitu* falleris, nam frustrà iussisset eos dispersos abire, nisi ipse Vetilium summa arte, atque virtute duos dies, vt infra audies detinuisset *recollecto* autem qui dicere potuisti cum antea eos non collegisset?

Ibidem. 84.

Petilius hostes palantes, ac tramitum peritos properè insecutus tantum abfuit, vt assequeretur, vt dum incautius, se in eos infert, in insidias præcipitauerit. Etenim Viriathus cedere se Romanis equitibus simulans vsque ad locum voraginosum, & præaltum eos perduxit; & cum ipse per solitos, ac notos sibi tramites euaderet, Romanos ignaros locorum immersosque limo à tergo, ijs qui in insidijs erant, adorientibus cæcidit. Bone deus, quæ somnia mihi narras? penè plura sunt errata quam verba. Audi Appianum. Mille solis delectis equitibus, vt secũ remanerẽt, imperauit: atq; his ita rebus gestis, illi quidem vbi Viriathus equum ascendit fugerũt. Vetilius autem veritus eos persequi in tot partes diuersos in Viriathũ cunctantem, & rei euentum expectantem conuersus pugnam commisit. Sed ille equis velocissimis Vetilium fatigans modò subter fugiendo modò rursus instando, atque inuadendo totum illum diem in ipsa planitie, & totum insequentem circumcurrens consumpsit. vt verò coniectura est assecutus, eos, qui fugerant, in tutum locum peruenisse, tum noctu citato cursu per vias inuias equis velocissimis Tribolam confugit, Romanis ipsum persequi non valentibus partim armorum pondere, partim viarum ignoratione, & propter diuersam equorum naturam. Quam sint hæc à tuis diuersa, legenti facilè patet. Malè scripsisti, *hostes palantes*. Milites enim palantes ii dicuntur, qui per campos huc, atque illuc vagantur, atque feruntur; non qui fugunt ad vnum certum, destinatumque locum; vt milites Viriathi Tribolam. Temerè etiam *propere insecutus*, dixisti, cum triduo post, id factum prodat Appianus. Item imperitè illud addidisti. *Vetilius tantum abfuit, vt assequeretur &c.* nam illud dicendi genus apud bonos auctores habet vim negandi: tu affirmatiuè eo vsus es; cum dicas Vetilium se in hostes intulisse, & in insidias præcipitasse. præterea de insidijs Ap. ὁ δὲ Οὐετίλιος μὲν δὴ αὐτὸν διώκων ἦλθεν ἐπὶ τὴν τρίβολαν. ὁ δὲ Οὐριάτος ἐν λόχμαις ὑπερέλθοντος τοῦ Οὐετιλίους αὐτὸς ἐπεστρέφετο καὶ οἱ ἐκ τῆς ἐνέδρας ἀνεπήδων. καὶ Ῥωμαίους ἐκατέρωθεν ἔκτεινα καὶ ἐζώγρουν, καὶ τὰς φάλαγγας ἐώθουν. Vetilius igitur Viria-

rum

thum sequens Tribolam peruenit. Viriathus autem vbi Vetilium inter densas arbores progressum vidit, & ipse conuersus est, & alii ex insidiis exilierunt, Atque Romani vndique interficiebantur. Tua sunt hæc. *cædere se Romanis equitibus simul.* à quo accepisti quòd essent equites, & non pedites? vel certè vtrique? non est in Appiano, *locus voraginosus, non limus*, quo dicis Romanos fuisse immersos; *non saltus, non noti transitus Viriatho*, per quos euasit. non denique *Romani locorum ignari*, & tamen dicis. *hæc Appianus*. num tibi est adhibenda fides, qui tot mendaciis & somniis impleueris veterum monumenta?

Ibidem pag. 84.

Sex millia Romanorũ cũ quæstor eius, ac quinque præterea millia quæ Belli, Tithique socij miserant assumpsisset, cum Viriatho congredi ausus omnes amisit Appianus τοὺς μὲν ἐς τὴν καρπήσον διαφυγόντας ὁ ταμίας σινέτασσαν ἐπὶ τειχῶν δεδιότας. παρὰ δὲ βελλῶν, καὶ τείτθων αἰτήσας πεντακισχιλίους συμμάχους καὶ λαβὼν προὔπεμψεν ἐπὶ οὐρίαθον, ὁ δὲ πάντας ἔκτεινεν ὡς μηδ' ἄγγελον διαφεύγειν. Quæstor eos, qui Carpessum effugerant metu perterritos ordine in muris collocauit: quinque vero millia sociorum, quæ à Bellis Tithiisq; petierat, & acceperat, contra Viriathum præmisit, quos omnes ad vnum occidit, vt nemo tantæ cladis nuncius effugerit. Ergo Quæstor non assumpsit sex illa Romanorum millia. non cum iis congressus est cum Viriatho: non pugnæ interfuit, sed Carpessi remansit: & quinque tantum illa sociorum millia contra Viriathum misit. Ibidem.

Cum autem Plautium Roma cum exercitu contra se missum simulata fuga, ac conuerso inde agmine insequentem cum magna eorum clade primum fudit. Appianus tradit; venisse Plautium cum decem millibus peditum, & mille trecentis equitibus, & ex his ad quatuor millia contra Viriathum misisse, & ab eo fusos fuisse. quæ tu neglexisti optimus antiquitatis illustrator: vt intelligeremus credo, Viriathum fudisse totum exercitum Plautii.

Ad an. DXLIII.

Quo factum est, vt M. Marcellum fulgentem iam Sicilia domita, & Valerium Leuinum, qui egregiè terra, marique gesserat absentes consules dicerent. Valerius tantum erat absens, non Marcellus. Liu. lib. xxvi. Iuniores suffragium inierunt, M. Marcellum fulgentem tum Sicilia domita, & M. Valerium absentem dixerunt.

Q. Fabius

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.143/b

Ad an. CDXIII.

Q. Fabius Viriathum secnndus fregit, duobusque ei oppidis ademptis &c. καὶ πόλεις, ait App. αὐτοῦ λὺι τὴν μὲν διήρπασεν, τὴν δὲ ἐνέπρησεν. ex duabus ipsius vrbibus alteram diripuit, alteram incendit. en optimus græcorum interpres.

Ad an. DCX. pag. 84.

Ap. Claudius aduersus Salassos Gallos conuersus, & victus decem millia peditum amisit. Orosius lib. vi. cap. iiii. App. Claudius inquit, aduersus Salassos Gallos congressus, & victus quinque millia militum perdidit. Orosius, congressus: tu *conuersus*; Orosius quinque millia: tu *decem millia*; ille perdidit: tu *amisit*. en cento num inimicus.

Ad an. DXII. pag. 86.

Viriathum Fdbius insecutus oppido inclusum circumvallare cæpit. ex quo Viriathus eruptione facta exercitum Seruiliani fugauit, atque in locum asperum, ac præruptum vnde nulla exeundi facultas erat, compulit. Appianus longè aliter. Viriathum, inquit, Fabius insequens, illius vrbem circumuallare cœpit. in quam Viriatus noctu ingressus prima luce in opus facientes eruptionem fecit, vt rutris proiectis fugerint. Atque aliam militum manum ab Aemilio missam Viriathus fudit; atque eam persecutus in loca aspera atque prærupta compulit, vnde Romanis effugiendi nulla facultas erat. Num sententiam Appiani expressisti? Si Fabius ante cœpit circumuallare Erisanem, quam Viriathus est ingressus, non cœpit circumuallare inclusum. Eruptione facta, inquis, sed quando, & in quem non scribis. *exercitum*, ais, *Seruiliani fugauit*; cum pars tantum fuerit, nulla facta mentione eorum, qui ab Aemiliano sub missi fuerunt. Ibidem.

Viriathus pacem his conditionibus petijt. Appianus, συνετίθετο. id est; vt ego interpretor. Romanis pacis conditiones tulit neque est verisimile, vt qui longè superior tum esset, pacem peteret.

Ibidem pag. 87.

Tum Numantini cum Pompeium forte abesse castris animaduertissent, è colle subito digressi in equites Pompeianos impetum fecere. Pompeius re nunciata ad exercitum reuersus hostibus acriter instare, illi leuiter ad montes recedere dum Romanos ad locum impeditum, quem constituerant, attraxerunt. App. Pompeius ibat nescio quò equites ipsius cursu ipsum insequentes Numantini cũ descendissent

scendissent, interfecerunt. Pompeius igitur reuersus aciem in planitie instruxit. & Numantini cum descendissent, paulatim pedem referebant tanquam fugientes, vsque ad columnas, & Baratrum. Iudicet lector, uter nostrum sit sententiam Appiani assecutus. ego iam ne illi molestus sim omitto, tua errata colligere.

Ad An. DCXIII. pag. 87.

Tot igitur aduersis prælijs fractus Pompeius cum Roma, & Senatores aliquot, qui consilio, & nouus exercitus, qui manu eum iuuaret, acceßissent. Appianus. Ob quas clades tum Pompeio Roma præsto affuernnt consiliarii, & militibus veteranis successores tyrones, & inexercitati, atque bellorum imperiti.

Ibidem.

Pompeius obsidibus, & transfugis, & xv. auri talentis, hæc enim imperauerat, excitis, successorem, dum accederet expectauit. Nihil ferè in hoc tuo commentario affers, in quo non appareant tuæ modestiæ singularis, & summæ græcarum literarum peritiæ impressa vestigia; id quod ex Appiano cognosces. Cum Numantini inquit rem ita transegissent, seque illi dedissent, obsides Pompeius petiit, captiuos, & transfugas; & omnes accepit. Atque etiam petiit argenti triginta talenta, quorum partem statim dederunt. Numantini, Pompeius reliqua expectabat. Tu captiuos ubi reliquisti? Appianus scribit, argenti talenta, tu *auri*, ille, imperasse Pompeium xxx. talenta, tu, qui, credo, tum aderas, *quindecim*. Appianus Pompeium expectasse reliqua talenta: tu *successorem*. Denique Appianus πάντα ἔλαβεν: Tu *excitis obsidibus, transfugis, & xv. auri talentis*. Ego tantum abest, vt probem dici posse, excire obsides transfugas, talenta, ut genus dicendi prorsus barbarum putem. Sed tu cum hæc scribebas, vel ludebas, vel centones vitare cogitabas.

Ibidem.

Hæc pluribus verbis Appianus. Tu contra hac tua intempestiua breuitate, adeò Appiani planissimam historiam obscuraßi, vt quid gestum sit nullo modo ex te intelligi possit.

Ad an. DCXVII. pag. 88.

Appianus Mancinum rumore, qui Cantabros, & vaccæos Numantinorum auxilio veniße percrebuerat, perculsum exercitum trepidum, in castra, quæ quondam Fuluius Nobilior fecerat, reduxiße auctor est. & hic te eundem esse hæc Appiani verba demon-

strant

firant. λόγου δὲ ψευδοῦς ἐμπεσόντος, ὅτι ῥωμαντίνοις ἔρχονται βοηθοῦντες καὶ ταῦροι τε καὶ οὐακκαῖοι δείσας ἄπυρος τὴν νύκτα διηγαγεν ὅλην ἐν σκότῳ φεύγων ἐς ἔρημον τὸ Ναβιλίωνός ποτε χαρακωμα. id est cum autem falsus emanasset rumor, quòd Cantabri, & Vaccæi Numantinis auxilio venirent, timore Mancinus affectus totam noctem in tenebris sine igne traduxit fugiens intra vallum desertum quondam Fu'uii Nobilioris. omisisti ψευδοῦς. ἔρχονται, malè vertisti, *veniisse*. rondum eum venerant, sed venturi ferebantur. omisisti etiam ἄπυρον τὴν νύκτα διήγαγεν ὅλην ἐν σκότῳ. Dixisti linguæ Latinæ peritissimus *Numantinorum auxilio*. pro Numantinis. Timorem quem Appianus Mancino tribuit, tu in exercitum contulisti. & φεύγων, *reduxisse*, reddidisti. & imperitè nam in verbo reducere nulla est fuga. & reducere eò significat vnde quis discesserat, iterum ducere. & hæc sunt tua miracula.

Ad an. DCXXIIII.

Cum Tuditanus consul vereretur ne iudex constitueretur litis, quæ plebi cum patribus de agrorum diuisione erat, in Illiricum prouinciam profectus est. Appianus lib. pri. bellorum ciuilium scribit, Tuditanum antequam iret in Illyricum fuisse iudicem constitutum, rem tentasse, quam cum per difficilem intellixisset, in Illyricum profectum fuisse. Ad an. DLXXXIX. pag. 75.

Plutarchus in Paulo Sic. L. Aemilius Paullus CCCXXXVII. *milia recensuit: è senatu tres mouit: in recensendis equitibus Romanis ipse, & collega Marcius Philippus modum seruauit.* Hucintegram de more tuo, interpretis Plutarchi versionem transtuilisti: & illius errata tua feciſti, cum ex ea versione sententiam Plutarchi nõ perceperis. ea enim est eiusmodi. Censore Paullo censa sunt hominum CCCXXXII. millia quadringenti quinquaginta duo. è Senatu tres mouit non ex illustribus. & incensu equitum eadem modestia est vsus & ipse, & M. Philippus collega.

Ad annum DCXLII. pag. 99.

Legati honestioribus, quibus potuerunt conditionibus Hispanienses tumultus compo'uerunt. Tuæ coniecturæ πρεσβεις δὲ ἀπεστελον, ἰὸτὴν πολεμον ἐμελλον, ὅπη δύναιτο καταθέσιοθαι. id est legatos miserunt, qui, vt possent, bellum sopirent, vel sedarent. In Appiano nullæ sunt conditiones, nec legati compoſuerunt, sed missi sunt vt componerent, quòd non fecerunt. *Hispanienses*, dixisti, *tumultus*, pro Hispanos, homo Romanæ linguæ peritissimus.

T. Didius

Ad an. DCLXV. pag. 105.

T. Didius alios etiam populos in deditionem redactos ex x. legatorum sententia militibus trucidandos tradidit. Falsum est hoc totum. Nam Didius Colendam in deditionem accepit: colendanos vniuersos cum coniugibus & liberis vendidit; Populum vnus vrbis Colendiæ proximæ in castris, quo ipsum euocauerat specie diuidendi agri, militibus trucidandum, assentientibus legatis tradidit. Appianus in Iberico. vnus igitur fuit Populus & ad eam vsque diem amicus P. R. Ad an. DCLIX. pag. 106.

Ariarathem enim Cappadociæ Regem cum Mithridates per Gordium cum paruo eius filio interfecisset. Iustinus lib. xxxviii. tradit Gordium interfecisse Ariarathem patrem Capadociæ Regem: Mithridatem verò necasse Ariarathem filium in colloquio spectandæ vtroque exercitu.

Ad an. DCLXVII. pag. 110.

Romanorum copiarum paucitas fecit, vt Archelaus ad Chæroneam oppidum aciæ confligere ausus sit. Plutarchus in Sylla. ὅθεν ἐκβιασάμενοι τὸν ἀρχέλαον οἱ λοιποὶ στρατηγοὶ, καὶ παρατάξαντες τὴν δύναμιν id est. cum reliqui duces ait, Archelaum inuitum confligere coegissent, atque copias instruissent. Appia. in Mitridatico, εὐθὺς ἀπῆγεν ὡς καὶ ἄκοντα βιασόμενος εἰς μάχην statim suas eduxit copias, vt etiam Archelaum inuitum pugnare cogeret. Nun tibi pugnasse videtur adductus paucitate Romanorum?

Ibidem pag. 110.

Archelaus cum triduo nudus in Paludibus latuisset post in Calcidem se recepit. App. in Mithr. Ἀρχέλαος ἐν ἕλει τινὶ, ἐκρύφθη, καὶ ἐπὶ σχάφας ἐπιτικὼν ἐς χαλκίδα διέπλευσε. id est. Archelaus in Palude se abdidit, naculoque nauiculam Chalcidem nauigauit. Plutarchus in Sylla. κρυφθεὶς δύο ἡμέρας ἐν τοῖς ὀρχομενίων ἕλεσι. id est. Archelaus biduum in Orchomeniorum paludibus cum latitasset. Vides vt nec in Plutarcho, nec in App. Sit neque nudus, neque triduo? est modus quo se in Chalcidem recepit, quem tu explicasti verbo recepit quasi idem sit cum διέπλευσε.

Ad an. DCLXVIII. pag. 110.

L. Flaccus consul in Asiam traiecit. Hoc anno à C. Fimbria *legato suo corrupto exercitu interfectus est. hoc vt cætera egregie ostendit Velleius.* Primum Velleius non dicit Fimbriam corrupisse exercitum Flacci: deinde Fimbriã præfectum equitum appellat,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.143/b

non legatum. sed reprehendis Appianum, qui Flaccum, cum est interfectus, consulem appellet, propterea quod Velleius consularem dicat; videamus an possimus Appiani sententiam tueri testimoniis probatissimorum historicorum. Strabo lib. xiii. ὁ Φιμβρίας inquit. ἀνελὼν τὸν ὕπατον ἐν Βιθυνίᾳ. id est. Fimbria interfecit consulem Flaccum in Bithynia. Orosius lib. vi. cap. ii. Interea ait, Fimbria Flaccum consulem apud Nicomediam occidit. Liuius lib. xxxii. L. Valerius Flaccus consul à C. Fimbria legato ipsius occisus est. Cum hi quatuor nobilissimi scriptores Flaccum consulem fuisse occisum, asserant non video; cur his vnum Velleium præferas.

Ibidem.

Plutarchus autem scribit Sullam in Hellespontum venisse, cumque ibi concurrentibus regijs legatis, pax conuenire non potuisset quod commodiores conditiones sibi à Fimbria ferri rex diceret. Primum negamus quicquam eiusmodi scribere Plutarchum. Deinde ridiculum est, quod dicis, pacem non potuisse conuenire, quod rex diuisset, Fimbriam ferre meliores conditiones. nam causa fuit, quod rex nolebat cedere Paphlagonia, & tradere naues, auctore Plutarcho in Sylla.

Ad an. DCLXIX. pag. III.

Sullam sollicitato exercitu, Fimbriam pergami obsessum ad necem compulisse. Nullus est, qui tradat, exercitum Fimbriæ fuisse à Sulla sollicitatum. nullus, qui scribat Sullam obsedisse Fimbriam Pergami: nedum Plutarchus: & Appianus quorum alter in castris alter Pargami in templo Aesculapii quo è castris Fimbria iuerat, se interfeciisse, ait. num es fide dignus?

Ad an. DCLXXI. pag. 112.

Cum Bosporani, ac Colchi à Rege Mithridate alienati filium eius sibi regem deposcerent, Mithridates autem occiso filio exercitum, classemque aduersus Bosporanos compararet. & c. Scribit Plutarchus, Colchos tantum petiisse sibi regem filium Mithridatis. eoque impetrato, rediisse sub imperium ipsius; & ob eam causam non multo post filium ad se euocatum necasse. tibi satisfuit, occiso filio, nulla allata causa. Ibidem.

Cum Mithridates aduersus Bosporanos classem, & magnum exercitum comparasset: Murena suspicatus ne rex in Bosporanos verbo, re autem aduersus Romanos se instrueret. exercitu statim per Cappadociam ad oppidum maximum, nomine Comana, ducto, in quos-

dam

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.143/b

dam eius equites impetum fecit, atque legatis regijs fœdus Syllæ ostendentibus, reiectis, regione vastata, sacrisque pecunijs direptis in Cappadociam in Hyberna se recepit. Hæc Appianus. Tuus fortasse istas fabulas prodit, meus aũt scribit, Archelaum audito magno Mithridatis apparatu timore perterritum ad Murenam bellorum occasiones captantem triumphi cupiditate fugisse, atque eum irritando ad arma mouenda impulisse, Murenam statim Comana oppidum Cappadociæ inuasisse, aliquot regis equites interfecisse, & legatis fœdera obiicientibus dixisse, se nullum videre fœdus à Sylla scriptum, hisque dictis, prædas egisse, sacras pecunias diripuisse, & in Cappadocia hybernasse. In Appiano vt vides, non est ista suspitio Murenæ, sed cupiditas triumphi, & instigatio Archelai. fecit impetum, ais, in quosdam eius equites. App ἔκπτωσιν. idest interfecit. App πρέσβεσιν αὐτοῦ τὰς συνθήκας προτείνουσιν, οὐκ ἔφη συνθήκας ὁρᾶν. id est, legatis ipsius fœdus obiicientibus, respondit, se nullum videre fœdus. tu *legatis ostendentibus fœdus*. qui poterant, si, vt eo in loco App. testatur, nullum scripserat Sulla? Denique homo regionum peritus, ais, in Cappadociam in hyberna se recepit. die obsecro ex quo loco? vbi est oppidum Comana? in Cappadocia, auctore Strabone, vt alios mittam, lib. x. & xi. App. ἐνχειμάζει ἐν καππαδοκίᾳ.

Ad an. DCLII. pag. 112.

Murena autem maiore conatu acie cum Rege congressus, ac castris, & exercitu exutus in Phrygiam se recepit. Neque apud Appian. neque apud Ciceronem leges Murenam maiore conatu cum Rege pugnasse, & castris, & exercitu exutum fuisse. ostende tu alios, si habes.

Ad an. DCLXXV. pag. 113.

M. Lepidus legem de actis Sullæ rescindendis promulgauit. Ego vero nullam video, neque in Floro lib. viii. cap. xxiiii. neque in Appiano legem, sed conatum tantumodo.

Ad an. DCLXVII. pag. 116.

Nicomedes autem Bithyniam Octauio, & Cotta, non vt ait Eutropius Lucullo, & Cotta reliquerat. Supra ad an. DCLXXVIII. Sententiam Entropii probasti his verbis. *Appianus sequenti anno, quo Nicomedes Bythiniam P. Romano reliquit Sertorium in suos proditionis suspectos seuisse ait.* Nam si anno insequenti ea facta sunt, certè is fuit DCLXXIX. Te etiam auctore, qui ad eum

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.143/b

an. sic scribis his consulibus Nicomedem Regem Bithyniæ mortuũ P. R. hæredem reliquisse, Bithyniam in prouinciæ formam redactam scriptum est apud Eutropium. præterea Mithridates irruptionem in Bithyniam fecit Lucullo, & Cotta consulibus. At Appiano auctore, id est factum post mortem Nicomedis.

Ibidem.

Mithridates Cottam persecutus terra fudit ac mari classe pulcherrima exuit. Fudit Mithridates non Cottam, sed Nudum classis præfectum. Cotta se se muris continente.

Ibidem.

Lucullus commeatus Mithridati intercluſit, equorum sex millia, captiuorum xv. quos Mithridates rerum inopia coactus in hyberna, in Bithyniam remittebat, assecutus Mamerco duce partim cepit, partim cæcidit. Hæc App. & Plutarchus. Ludis Sigoni. Plutarchus in Lucullo Mithridatem inutiles pedites, & ferme omnem equitatum cum Sarcinis in Bithyniam misisse: atque Lucullum ex iis xv. hominum millia, & equorum sex cepisse multis etiam interfectis. Appianus adiicit, cepisse magnum iumentorum numerum. de Mamerco apud vtrumque mirum silentium: neque Lucullus intercluſit omni commeatu Mithridatem, sed eo tantum, qui terra afferebatur cum scribis *equitorũ sex millia, captiuorũ xv. partim cepit, partim cæcidit*, es ridiculus. nam qui ceduntur, non capiuntur, captiui non ceduntur, sed conseruantur. ergo Lucullus alios in acie interfecit.

Ad an. DCLXXX. pag. 117.

Lucullo Macedonia euenit. Eutro. Anno, ait Eutrop. vrbis conditæ DCLXXVIII. Macedoniam prouinciam M. Licinius Lucullus accepit. euenire ad sortem pertinet, accipere dantem respicit.

Ad an. DLXXXI. pag. 118.

Mithridate Cabiris, quo se receperat, hyemante, atque inde commeatum suppeditãte. Cui suppeditabat? & quid aliud præter cõmeatum? A miſensibus, scribit Appianus, commeatum, & arma, & & milites suppeditabat.

Ad an. DCLXXXV. pag. 117.

Appianus ad Lemnum classem, cui Marius, Alexander, & Dionyſius præerant à Lucullo depressam esse. Hæc de re nihil prorsus Appianus.

Reges

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.143/b

Ad an. DCLXXXV. pag. 120.

Reges quamquam prælio victi bellum reparare missis cũ ad alios finitimos, tum præsertim ad Arsacem Parthorum regem, legatis, quibus eos ad belli societatem inuitabant. Dio lib. xxxv. αὐτοὶ οὖν καὶ πρὸς τοὺς περιχώρους, τούς τε ἄλλους, καὶ Ἀρσάκην τὸν παρθον ἐπρεσβεύοντο. id est reges igitur, & ad finitimos, & ad alios, & ad Arsacem Parthum legatos miserunt. omisisti ἄλλους, & præsertim addidisti; vt Arsacem finitimum Mithridati, & Tigrani faceres. tua etiam sunt illa, quibus eos ad societatem belli inuitabant. cur non potius miserunt ad auxilium petendum? id quod Dio tradit. & tu infra confirmare videris, cum dicis; *Arsaces tamen neutrum auxilio iuuit.*

Ad an. DCLXXXV. pag. 119.

Cum Arsaces à Regibus, & à Lucullo vocatus esset ad amicitiã. Dio Sic. ὁ λούκουλλος ἀντεπέστειλε τινας ἐκ τῶν συμμάχων ἅπαλλάξοντε ἅμα αὐτῶν ἂν ἐκείνοις ἐπικουρήσοι, καὶ ὑποσχέσεις ἄμφοτερα αὐτὰ ἀφέντε ἀνεπίλητα φέροντας. id est. Luculius quosdam ex sociis misit ad Arsacem, & minas simul illi, si opem illis ferret, & promissa, si sua curaret, ferentes. non est igitur vocatus ad societatem, neutrum dicitur: cum supra scripseris à regibus, & à Lucullo: melius neutram partem, vel neutros.

Ad an. DCLXXXVI. pag. 120.

Quo prædam omnẽ Romani contulerant. Dio. τὰ σκεύη. id est Sarcinas, vel impedimenta. quid nam prædatus fuerat Triarius?

Ibidem.

Triarius, vt Dadasa obsideri audiuit, militum suorum pugnam poscentium vocibus victus, cum eò vel inuitus pergeret, in itinere à Mithridate cum omnibus penè copijs est deletus. maiorq; accepta clades fuisset, ni rex à proditore quodam amico, simulato colloqio vulneratus fuisset. Dio. ὡς δὲ τὰ Δάδασα πολιορκούμενα ἐπύθετο, καὶ οἱ στρατιῶται δείσαντες μὴ καὶ αὐτοῖς ἐπάρητο, καὶ ἐπὶ πείλουν. εἰ σφᾶς μηδεὶς ἐξάγοι, καὶ αὐτοκέλευτοι βοηθήσουσι σφίσι. id est, vbi vero Dadasa oppidum à Mithridate obsideri audiuit, & milites timentes ne, qui Dadasis erant, tumultuabantur, se illis sponte sua, si nullus alius educeret, opem laturos. Ergo milites Triarii non poscebant pugnam, sed, vt auxilio ire possent iis, qui Dadasis obsidebantur. Sed videamus reliqua. inuitos iter ingressus est.

At

At Barbari iam in Triarium progredientem impetu facto, alios quidem in ipsa pugna circunuentos oppresserunt, alios verò fugientes per campos ignoratione transitus fluminis obequitantes necauerunt. Atque prorsus deleuissent, nisi quidam ex Romanis tanquam esset vnus ex satellitibus Mithridatis accessisset, & tanquam ei aliquid dicere vellet, ipsum vulneraſſet. Dio. ἔκτεινον πασσυδί. id est prorsus deleuissent. tu *maior fuisset accepta clades.* Sed quæ maior cladis esse poterat si, vt tu dicis, omnibus penè copiis delitus fuerat? qui locus relinquebatur maiori cladi? Dio, quidam è Romanis: tu *proditore quodam amico*, nec puto eum potuisse proditorem dici. Dio ὡς εἰπεῖντι βουλόμενον tanquã volens aliquid dicere: tu *simulato colloquio.* Cum dicatur colloquium de iis, qui sponte, & scientes congrediantur. non de vno tantum simulante aliquid Mithridati se dicere velle, vt eum necaret.

Ibidem pag. 120.

Præsente Acilio. Dio. προφάσει τοῦ τὸν ἀκίλιον ἐγγὺς εἶναι. prætextu, quod Acilius esset propè.

Ad an. DCLXXXVII. pag. 121.

Pompeius vbi per legatos ad pacem petendam Mithridatem se adducere non posse sensit, magno apparatu in eum mouit. Longè aliter Dio ὁ πομπήιος βουλόμενος τὴς τοῦ μιθριδάτου διανοίας πεῖρα σθαι πέμπει τὸν μητροφάνην φίλους αὐτῷ λόγους φέροντα, καὶ ὃς τότε μὲν ὀλιγωρίᾳ αὐτὸν ἐποιήσατο. id est. Pompeius volens Mithridatis animum tentare Metrophanem ad eum mittit amicos illi atque benignos ferentem sermones. Atque tum quidem ipsum contempsit. ostende tu tuos legatos; & vnde extraxisti magnum illum Pompeii apparatum.

Ibidem.

Iam diu legatos expectari. Dio ἤδη παρεῖναι. iam adesse.

Ad an. DCLXXXVIII.

Albanos iterum occurrentes repulit. Ne vestigium quidem huius rei est in Dione. πομπήιος, inquit, τοῖς ἀλβανοῖς εἰρήνην ἔδωκε id est Pompeius Albanis pacem dedit.

Ad an. DCXCIII. pag. 25

Eos mandata facere recusantes acie fregit. Magis propriè iussa, vel imperata facere. Ibidem.

Incolas Herminij montis in Insula propè ad internicionem redegit. Non es assecutus sententiam Dionis. ἀκοντὶ, inquit αὐτοὺς κακκῶς

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.143/b

κακῶς ὑπὸ σιτοδείας ἐχοντας παρεστήσατο. Eos sine labore rei frumentariæ inopia vehementer laborantes in deditionem accepit. quam à tua est hæc versio diuersa?

Ibidem.

Postremò Brigantium Calæciæ oppidum euertit. Dio. σφᾶς ἐξεφόβησε, καὶ κατεστρέψατο. id est ipsos terruit, atque in potestatem suam redegit.

Ibidem.

Neque enim nisi præsens in vrbe petere consulatum lege poterat: nec si vrbem priuatus iniisset, ei postea triumphare permissum erat. Hæc Dio. Hæc in meo Dione nõ sunt, ostende tu esse in tuo.

Ad an. DCC. pag. 129.

Itaque cum Carrhas peruenisset à præfectis regis Surena, & Syllace circumuentus omnem penè cum filio P. Crasso, qui ad eum ex Italia è Cæsare venerat, exercitum amisit. Hæc omnia gesta sunt antequam Carrhas peruenisset. Dione, Plutarcho, & Appiano auctoribus. Ibidem.

Crassus euocatus à Surena in colloquium tanquam de pace acturo captus, atque ne viuus in hostium potestatem perueniret, repugnans occisus est. Nemo est eorum, quos tu affers, qui ista tradat. Ibidem.

Exercitus in Armeniam, & Ciliciam, quo quenque fuga rapuit distractus, Cassius Longinus quæstor cum aliqua parte in Syriam in columis rediit. Et hæc omnia falsa sunt. Primum vbi erat iste exercitus, si ad decem millia cæsa sunt, ad decem capta? quam Armeniam, & Ciliciam mihi narras? Dio. scribit, Cassium Longinum multò ante Crassi mortem, sese in Syriam recepisse.

Ad an. DCCI. pag. 129.

C. Cassius, cum ex clade, quæ a Parthis ad Carrhas illata est cum parte exercitus in Syriam se recepisset: Hoc, vt opinor anno Parthorum, qui in Syriam transcenderant, impetum retudit, si quidem scribit Dio, Parthos victoria elatos non admodum magnis copijs in Syriam, quam nullo teneri exercitu opinabantur, transisse, atq; à Cassio fortissimè repulsos esse. μετὰ δὲ inquit Dio. τοῦτο καὶ εἰς τὴν συρίαν οὐ μέτριοι καὶ ἐν πλήθει τινὶ ὡς μήτε στρατηγὸν μήτε στρατιώτας ἔχουσαν ἐνέβαλον, ἀφ' οὗ περ καὶ Κάσσιος ῥᾳδίως αὐτοὺς ἔτε μὴ πολλοὺς ὄντας ἀπεώσατο. id est. Post hæc autem Parthi etiam in Syriam non tamen in magna aliqua multitudine, quip-

pe

pe, quæ neque Imperatorem, neque milites haberet, irruperant ex qua quidem ipsos Cassius, vt potè non multos facilè repulit. De Cassio, quòd ante stragem illam in Syriam se contulerat, supradictum est. Dio non dicit Parthos victoria fuisse elatos, nec quod opinarentur, sunt tuæ coniecturæ. non fortissimè, cum haud magna fortitudine esset opus ad paucos repellendos, sed scripsit ῥᾳδίως. id est facilè. en admirabile hominis iudicium.

Ad an. DCCII. pag. 130.

Iterum Parthi Orodis regis filij nomine, Orasce quodam duce se in Syriam, intulerant, atq; redactis omnibus in potestatem locis vsque ad Antiochiam peruenerunt. Dio. lib. xl. Barbaris rursus Syriam maioribus copiis Pacoris quidem Orodis magis filii nomine re autem vera (filius enim illius adhuc puer erat) Orsacis ipsorum ducis inuaserunt, & vsque ad Antiochiam venerunt, omnia, qua ferebantur, sibi subicientes Dio negat nomine Pacorri Parthos transisse in Syriam: tu, qui, credo, ea melius nosti, affirmas. Parthi subiciendo sibi quicquid obuium fiebat peruenerunt vsque ad Antiochiam: tu scribis redactis omnibus locis in potestatem. & quæ nam erant illa loca?

Ad an. DCCIII. pag. 131.

Dio ab Appio Claudio multos equites, & Senatores notatos scribit inuitò collega: libertinos, atque alios nobiles multos, atque inter cæteros C. Salustium historicum Senatu esse motos. Libertini igitur hac tua versione in Senatum lecti fuerant, ac Senatores erant: si moti sunt Senatu, quod tamen ipse negas in lib. II. de Ant. Iure ciui. Rom. his verbis. Verum ne in Senatum quidem lectos esse libertinos, inde apparet, quod ne libertinorum quidem filii lecti sunt. quid respondes Sigoni? in has difficultates incidimus dum nimium diligenter græca conuertimus. Dio habet πάντας τοὺς τῶν ἀπελευτέρων. id est omnes libertinorum filios. Patet iam ex his Dionis verbis filios libertinorum, non libertinos Senatu fuisse motos; & ipsos etiam libertinorum filios in Senatum fuisse lectos; quod tu eodem in loco negas.

Ibidem.

Adijcit Dio neminem prudentem hoc tempore hunc magistratum affectasse, ne aut notandis ciuibus in odium, aut notis præterendis in populi reprehensionem incurreret. Hæc adhuc in meo Dione quæsiui, nec reperire potui.

Ita

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.143/b

Ibidem.

Itaque eum hoc anno censum egisse, ac pro CCCXX. *millibus ciuium, quæ ante ciuile bellum censa essent,* CL. *millia tantum, reliquis bello ciuili confectis inuenisse: cum autem ipse ciuium paucitatem ex censu cognosceret, præmia iis, qui liberos multos procreassent, proposuisse.* Quam hæc vera sint ostendent hæc Dionis verba ex lib. xliii ἐπὶ δὴ τε δεινὴ ὀλιγανθρωπία διὰ τὸ τῶν ἀπολωλότων πλῆθος ὡς ἔκτε τῶν ἀπογραφῶν (καὶ γὰρ ἐκείνας τότε ἄλλα ὥσπερ τι τιμητὴς ἐποιησε) καὶ ἐκ τῆς ὄψεως αὐτῆς ἠλέγχε τὸ ἂν πολυπαιδίας ἄθλα ἐπέθηκεν. id est. & quoniam magna erat hominum paucitas propter multitudinem eorum, qui perierant, quique proscripti fuerant (illas enim proscriptiones & alia tanquam censor quidam fecit) & ex ipso aspectu colligebatur, iis præmia proposuit, qui multos procreassent liberos. Vides nullam fieri census, nec ciuium censorum mentionem? vides colligisse paucitatem ciuũ etiam ex eo, quòd ciuitatem infrequentem videret?

Ad an. DCCVIII. pag. 134.

Nam Cæsar cum neque in annum, neque in reliquum anni spatium consulatum gessisset, sed viuens, ac nullis legibus, neque auspicijs coactus abdicasset: alium honoris eius duntaxat gratia, sibi subrogauit. Diuersa ab his tradit his verbis, Dio lib. xliii. ὁ καῖσαρ οὐ διετέλους τὴν ἀρχὴν τὸν ὕπατον ἔσχε ἀλλ' ἐν τῇ ῥώμῃ γενόμενος ἀπεῖπετε αὐτὴν, καὶ τῷ Φαβίῳ τῷ ϛκόντῳ, τότε τριβωνίῳ τῷ γαίῳ ἐνεχείρισε. id est. Cæsar consulatum non vsque ad anni finem gessit; sed cum Romæ fuit, eo se abdicauit. & Q. Fabio, & C. Trebonio dedit. *Viuens*, dixisti: ego putabam etiam mortuos posse magistratu se abdicare. quæro cur hæc addideris: *nullis legibus aut auspicijs coactus*. quæro item quid sit, non gerere consulatum in annum, neque in reliquum anni spatium. num est vltra annum alius illius anni spatium? Assero. quæ tu Cæsari tribuisti, à Dione esse scripta de iis, qui post secuti sunt, consulibus: quorum alius interdum duobus, vel tribus mensibus erat in magistratu deinde abdicabat, alius ei succedebat, ac ne is quidem in reliquum anni tempus consulatum gerebat, sed alii tradebat. quæ in Cæsare tum cadere non potuerunt. tu vnum, Dio duos subrogasse ait.

Ibidem.

Ex quibus, qui cal. Ianuarijs inierunt, ij tantum anno nomen dederunt, reliquorum, qui in parte anni fuerunt, nisi forte memo-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.143/b

rabile alquid gesserunt, vix vlla conseruata memoria est. Itaque eos se persecuturum esse Dio negat. non expresisti sententiam Dionis, quæ est hæc. Enumeratio annorum ab iis capitur, qui primi consules creati sunt. Atque ego quidem ex aliis eos tantum consules nominabo, qui rebus erunt necessarii. Igitur in exponendis rebus gestis, qui primi inierint, eos, quamuis nihil memorabile gesserint, nominabo. Ibidem.

Hos Cæsar in Hispaniam aduersus Pompeium cum exercitus parte præmiserat. Dio lib. xxxiii ἦσαν γὰρ ἐν τῇ ἰβυρίᾳ καὶ τοῦ καὶ σραος σαρατηγοὶ κοίντός τε φάβιος μάξιμος, καὶ κόντος πέδιος. id est. erant enim adhuc etiam in Hispania Cæsaris prætores Q. Fabius Maximus, & Q. Pedius. non igitur Cæsar tum præmiserat. sed ante victum in acie Pompeium secum in Hispaniã duxerat contra Afranium, & Petreium. Ibidem pag. 135.

Quamquam autem rem per se non bene gesserunt, tamen eos triumphare voluit, vt de ciuibus Romanis in Hispania victis tres triumphi agerentur, in quo maxime animum, Populi Romani perculit. Sic Dio. Non enim solum ipse egit triumphum, inuitato vniuerso populo tanquam ad quodam commune bonum, sed etiam Fabium, & Q. Pedium quamuis prætores sui fuerint, & nihil priuatim prospere gesserint, triumphare voluit. quæ ipse de tuo addideris vides: ego illud ex Dione affirmo: P. Romanum risisse in triumpho Q. Fabii, & Q. Pedii, tantum abest, vt perculsus fuerit. Ad an. DCXCIX. pag. 128.

Donec Cotugnatus dux eorum aliis quibusdam ex iis, qui ad Isaram incolunt, auxilio venit: quos insidiis citra flumen positis omnes ferè palatos ad internicionem redegit. Me miserum, quid hac versione contortius, obscurius, imperitius? Audiamus Dionem quem prorsus euertendum suscepisti. Μέχρις οὐκ ὅτε κατούγνατος ὁ τοῦ πάντος αὐτῶν ἔθνος στρατηγὸς, καὶ τίνες ἄλλοι τῶν παρὰ τὸν ἴσαρα οἰκούντων ἐπικούρησαν σφίσι. τότε γὰρ οὐκ ἐτόλμησε μὲν αὐτοὺς ὑπὸ τοῦ πλήθος τῶν πλοίων περαιωθῆναι κολῆσαι μὴ καὶ συστραφῶσι ἰδόντες σφᾶς ἀντιπαρατεταγμένους ὑλώδους δὲ τοῦ χωρίου μετὰ τὸν ποταμὸν εὐθὺς ὄπος ἐνέδρας ἐν αὐτῷ ἐποιήσατο καὶ τοὺς ἀεὶ διαβαίνοντας ὑπολαμβάνων ἔφθειρε. φεύγουσι δὲ τίσι ἐπισπόμενος περιέπεσεν αὐτῷ κατουγνάτῳ κἂν πασσυδὶ διώλετο εἰ μὴ χειμῶν σφοδρὸς ἐξαίφνης ἐπιγενόμενος ἐπέσχε τοὺς βαρβάρους τῆς διώξεως. id est. Donec Catugnatus totius illius nationis prin-

ceps; & alii Isaram accolentes auxilio ipsis Ventianis venere. tunc enim Manlius non est ausus ipsos prohibere propter multitudinem nauium transire, atque etiam ne conglobarentur, cum vidissent Romanos instructos ex aduerso: sed cum locus iusta flumen syluosus esset, in eo insidias collocauit: & continenter transeuntes inuadens, interficiebat; & fugientes quosdam insequens in ipsum incidit Catugnatum; atque prorsus deleri potuisset, ni vehemens tempestas subito exorta barbaros retinuisset ab insectatione. Primum, ais dux eorum. quorum? Deinde qui posuit insidias? te interprete Cotugnatus: at Dione auctore, Manlius. Deinde quinam erant illi palati, quos est persecutus? te doctore, ii, qui ad Isaram incolunt: me interprete, Romani, sed non palati. Deinde Dio, παρσυδὶ ἀπώλετο. prorsus deleuisset. tu mitus amplificator asseueranter ais, *ad internicionem redegit*. Postremo turpissimè lapsus es, cum scripsisti, *ad Isaram incolunt*, quòd accusatiuum cum ad tribuisti verbo incolunt, quod incolunt prò accolunt, posuisti. en hostis Centonum acerrimus.

Ibidem.

Ita, vt quidam etiam vulnerarentur. Dio lib. xxxix. ὥστε καὶ σφαγὰς συμβῆναι. ; vt etiam cædes factæ fuerint.

Ibidem.

Crassus Venodotiam militibus diripiendam concessit: locis omnibus, quæ intra Tigrim sunt, in dictionem redactis. Falsa omnia. Plutarchus in Crasso. διήρπασε τὰ χρήματα καὶ τοὺς ἀνθρώπους ἀπέδοτο. id est. Diripuit opes, & homines sub hasta vendidit. Dio his isdem verbis vtitur: isdem Appianus, quorum vterque asserit, Crassum, si strenuè sequi voluisset, potuisse omnia in potestatem redigere, quæ sunt intra Tigrim.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.143/b

HAbes Sigonii errata, quæ succesiuis operis in tuo Commentario in Fastos à primo bello punico vsque ad Cæsaris triumphum animaduertere mihi licuit: iam ad ea te para, quæ ex tresdecim paginis tui Scipionis iterum excerpsi, vt hinc cognoscere incipias, vter nostrum Scipionem infamarit, melius totum conceperit, partes explicarit, ac omnes historiæ leges obseruarit. Atque vt parem tibi gratiam referam, ab ipsa exordiar inscriptione.

De Vita, & rebus gestis. Tu hæc non præstas. multa enim, quæ non fecit, illi tribuis: permuta ab eo, Sapienter iustè fortiter cõtinenterque facta, dictaq; omittis: quæq; facta prodis, pleraque eorum partim nimis amplificando, partim extenuando corrumpis. *P. Scipionis Aemiliani.* Desunt hæc: Africani minoris, & Numantini. Appellatus enim fuit. P. Cornelius Scipio Aemilianus Minor Africanus, & Numantinus. Atque Africanus etiam post adoptionem teste Cicerone, & Liuio, ante quam quicquam gessisset, dicebatur.

Pag. 4. ver. 12.

Qui P. Aemilii Paulli ab ineunte adolescẽtia nomen tulit. Aemilii, & Pauli à die Natali tulit, Publii à lustrico: qui si Plutarco, & Festo credimus, erat nonus.

Pag. 4. ver. 33.

Iam patre L. Aemilio Paullo &c. Quæ his quatuor versibus tradis, si vnde sumpseris, ostendes, concedam non esse superuacanea.

Pag. 4. ver. 31.

L. Aemilius Paullus eo animo fuit: vt, vbi collegam ab iniquo committendo prælio oratione deterrere non potuit, ipso pugnæ auctore se in fugam conijciente Varrone, mortem sibi potius oppetendam, quam tam turpem capescendam fugam esse statuit. Paullus, quo die ad Cannas pugnatum est, ne verbum quidem cum Varrone commutauit. Varro, inquit, Liuius lib. xxii postero die nihil consulto collega, signum pugnæ proposuit. Deinde causa mortis, quam tu affers, non est vera: vt hæc ipsius apud Liuium verba ostẽdunt. Tu me in hac strage militum meorum patere expirare, ne aut reus inteream, causaque consulatus accusator collegæ existam; aut alieno crimine innocentiam meam protegam. Sic falsis prodendis causis, historiæ centones vitantur.

Pag. 4. ver 38.

Hic autem Paullus, duas, vt scribit Plutarchus, vxores habuit.

De

De Papyria tantum agis: de altera, deque duobus, quos peperit, filius nihil prorsus: neque de duabus ex Papyria susceptis filiabus. vt tibi, credo, liceret etiam prætermittere, quam fortiter Scipio mortem ipsorum tulerit, atque vt, cum pag. 37. agis de liberalitate Scipionis in sorores, quæratur an vllam habuerit, cum nihil de ipsis scripseris. Pag. 4. ver. 47.

Paullus totum se contulerat ad filios suos ingenuis disciplinis, atque honestis artibus omnibus instruendos. Vel pro ornare, & armare, vel pro instituere, & erudire posuisti instruere. Vtro modo, & Paullum ipsum id fecisse; & te inconstantem esse confiteare necesse est cum infra scribas, *instituendos curauit.* addidisti, *totum*, contra sententiam Plutarchi, qui tradit Aemilium eodem tempore & filios instituisse; & auguriis operam dedisse. Item, *omnibus*, quod omnes tu credo honestas artes enumeraueras. denique sine exemplo dixisti *instruendos* ingenuis *disciplinis*, *atque honestis artibus*.

Pag. 4 ver. 50.

Itaque Romana eos disciplina, & patria prout ipse imbutus erat Græcis autem literis, atque doctrinis paulò aliquanto ambitiosius instituendos curauit. Quid orator optimè probasti, vt statim colligeres, & concluderes? præterea Plutarchus φιλοτιμότερον, ambitiosius. tu *paulò aliquanto*, addidisti, vt Plutarchum corrigeres & factum imminueres. quæ tamen duo aduerbia tantum abest, vt coniungantur; vt nusquam me, aliquanto legisse affirmare possim. in primis erratis reprehendi te, quòd, *instituendos*, dixisses, cum Plutarchus haberet τοὺς παῖδας ἀσκῶν. id est filios instituens, vel erudiens. Tu autem te defendis: quòd ἀσκεῖν non significet instituere, vel erudire, sed adhibitis magistris filios erudiendos curare. Primùm dicimus te arroganter facere, qui sine vllo græcorum testimonio id audeas affirmare, cum ego sexcenta probatissimorum auctorum proferre possim, & in primis Platonis in Euthidemo, Aristotelis in vii. Politicorum, Isocratis in Panegyri ad Dæmonicum. Sed mihi testimoniis non est opus, res ipsa per se loquitur teque vt mox audies, confutat. Deinde χόριον παιδείαν, καὶ πατρίον. Romanam, atque patriam disciplinam reddidisti, & per Romanam & patriam disciplinam intelligis grammaticam, cum scripseris, *adhibitis patrijs grammaticis, instituendos curauit.* quo quid absurdius, quid impudentius dici potest? tu isthæc audes effutire temere? Postremo, Paullum patrios adhibuisse grammaticos ad filios instituendos asse-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.143/b

ris qui omnem se antiquitatem tenere iactas, cum eo tempore nulli essent Romæ Grammatici, nulli qui pueros Grammaticam docerent. Est ergo Sententia Plutarchi. Paullus domestica disciplina patriisque moribus, & institutis imbuit filios; vt ipse imbutus fuerat; græca autem disciplina ambitiosius instituendos curauit. Sentis iam, vt, dum vni vulneri leui brachio illato mederi conatus es, alia grauiora acceperis? Pag. 4. ver. 52.

Qui accepta in secundi consulatus petitione repulsa se totum contulerat ad filios suos instituendos. Plutarchus in vita tradit Aemilium, cum sæpenumero consulatum petiisset, ac semper repulsam tulisset, ad auguria, & filios instituendos se contulisse. Pag. 5. ver. 5.

Quem Cicero scribit tenui admodum fuisse valetudine; sed insigni tamen eloquentia. Cicero de claris oratoribus: filius, inquit, Scipionis, si corpore valuisset, in primis habitus esset disertus. num dicit, fuisse insigni eloquentia? adde; quod hæc Scipionem non attingunt. Pag. 5. ver 15.

Vt ingentem patris Paulli, auique Africani gloriam tum bellicam adæquaret, tum domesticam anteiret. Scipio paternos honores, auctore Cicerone, superauit; auitos æquauit, eloquentia vtrique superior fuit, abstinentia, cæterisque animi ornamentis par. Velleius Scipionē virtutibus, & patris, & aui simillimum fuisse prodit: & illius vitam auito fulgore victam. Anteire gloria aliquem rectè; sed anteire domesticam gloriam alicuius non rectè dicitur. Pag. 5. ver. 1.

Factum est autem, vt hic puer, cum ad omnem virtutem satis, vt in illa primæ ætatis potuit imbecillitate, iam profeciſſet, non in Aemilia familia manserit, sed in Corneliam se contulerit. Primū quæro, à quo acceperis Scipionem tantum profeciſſe, & post tantum profectum adoptatum fuisse, & non ante? Deinde, ego iure iurando confirmare possum, me nusquam legisse Aemiliam familiam & Corneliam familiam: neque video, quo modo ista coniungi possint, cum, te magistro, familia ad cognomen, Aemilia & Cornelia ad gentem referatur. Quare si me hoc docere non grauaberis, credam post hac, te nullius scrinia compilasse. postremò, *contulerit se in Corneliam familiam*, tuum est dicendi genus. in eo enim verbo inest libera facultas, & voluntas eius, qui aliquò proficiscitur in Scipione non erat vlla adoptionis facultas, sed in adoptante.

Ab

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.143/b

Pag 5 ver. 9.

Ab his ergo nobiliſſimis ſiue generis, ſiue diſciplinæ incunabulis profectus adoleſcens clariſſimus. Hic per nouem verſus oratorē, non hiſtoricum agis. Proponunt Oratoreis, & Poetæ in principio qua de re ſint dicturi; tu autem, vt eos imitarere; ſed non in principio, ſic proponis, *quibus ille rebus gerendis ſit aſſecutus, breui, & quidem à primo illius tirocinio, demonſtrabo.* quid aliud dixiſſes, ſi laudationem ſcripſiſſes? atque hæc omnia ex tua officina.

Pag. 5. ver. 24.

Illud ad perpetuam illius memoriam inſigne ædidit. Illius imperite dixiſti, pro ſui.

Pag. 5. ver. 24.

Scipio illud ad perpetuam illius memoriam inſigne dedit: quòd Perſem tam acriter, & cupidè eſt perſecutus; vt longo temporis ſpatio nuſquam apparens cecidiſſe in prælio creditus ſit. Hic quadrat illud Horatianum. Parturient montes naſcetur ridiculus mus. Facinus inſigne ad perpetuam illius memoriam tibi fuit, quòd ira acriter, & cupidè Perſem perſecutus fuerit, vt in prælio cecidiſſe creditus ſit: ò facinus inauditum, & tanto præconio dignum.

Pag. 5. ver. 25.

Scipio Regem ipſum Perſem graui à patre prælio pulſum, tam acriter, & cupidè eſt perſecutus, vt longo temporis ſpatio nuſquam apparens cecidiſſe in prælio creditus ſit. Primum, negamus Scipionem Regem ipſum fuiſſe perſecutum: Deinde, te hoc vno loco prorſus Scipionem infamaſſe, affirmamus: tot, ac tanta commemoratione digniſsima omiſiſti, à Liuio, & à Plutarcho his verbis prodita. Scipio, quo die exercitus Perſei fuſus, fugatusque fuit, adeò effuſè, auideque hoſtes inſectatus eſt: vt cum longè plura paſſuum millia progreſſus fuiſſet (ad xv. millia paſſuum fuerunt) quam quis quam aliorum, in caſtra ſe cum cæteris recipere non potuerit. Vnde factum eſt, vt conſul vnus cum victor in caſtra reduſſet; & filium, quem vnicè diligebat, quod ingenio & progreſſu ad virtutem fratres longè ſuperare cernebat, nuſquam apparere intellexiſſet; eumque, quòd eſſet admodum adoleſcens, audax, & gloriæ cupidus, mortuum ſuſpicaretur omnibus lætitia tante victoriæ militibus (cæſa ad xx. millia hoſtium, & ad xii. capta dicuntur) exultantibus, gaudioque triumphantibus in magno luctu, ac dolore verſabatur. Cuius quidem rei fama per omnia caſtra peruulgata, maximus

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.143/b

ximus à cæna militum fit concurſus, partim in prætorium ad Imperatorem conſolandum, partim ad eum facibus accenſis conquirendum inter hoſtium cadauera. Mœſtitia exercitum habebat: campi vocibus Scipionem vacantium perſonabant: quòd omnibus ſtatim à principio ſpecimen futuræ probitatis, ac virtutis tum in bello gerendo, tum in Rep. adminiſtranda dediſſet; & omnes ſanguine illi coniunctos natura, atque ingenio ſuperaret. Diu cum quæſitus, atque vocatus eſſet, tandem ad multam noctem, cũ iam de illo deſperaſſent omnes cum duobus, vel tribus ſociis ouans gaudio, & ſanguine hoſtium perfuſus tanquam generoſus catulus ab hoſtium perſecutione in caſtra, atque inde in prætorium ad patrem venit. Qui tum demum recepto ſoſpite filio, victoriæ gaudium, quo ne ad eam horam ſyncero frueretur, cura de illo ſtimulauerat, ſentire cæpit. Et audes verbum facere? audes *ξυρὸς εἰς ἀκόνην* ſcribere? audes, me quòd vnum verbum omiſerim reprehendere? omiſiſti etiam hæc à Liuio memoriæ prodita. Paullus filios admonuit, vt fortunam, cui tantum liceret, reuerentur.

Pag. 5. ver. 26.

Acceſſit ad prudentiam adoleſcentis augendam, ac diſciplinam eius militarem inſtituendam, quod parta victoria, pater, dum legati Roma ad res Macedonias componendas, regionemque conſtituendam venirent cum Græciam circuire decreuiſſet, hunc perpetuò ſibi comitem eſſe voluit. vt facilè iudicari poſſit, qua Paullus ex re bellica haberet vel vſu, vel ratione comperta, ea tum in illa peregrinatione omnia filio tradidiſſe, ſiquidem &c. Et hic præterquam, quod ab Hiſtoricis ad Oratores deficis, ſuperuacanea ſcribis, & tuas coniecturas malè conceptas. dicis enim; *vt facilè iudicari poſſit &c.* vnde nam facis hanc coniecturam? *Siquidem, ais, Scipionem multa militaria patris documenta in ſermone accepimus vſurpaſſe.* Primùm negamus te à quoquam accepiſſe: Deinde, vnũ documentum apud te tantam vim habuit, vt inde rem tantam colligeres? id me hercule longè melius, & commodius domi facere potuit, quam in eo intinere: in quo veriſimilius eſt, eos de victoria, rebuſque Græcis inter ſe locutos fuiſſe. Sine exemplo dixiſti, *vel vſu, vel ratione comperta.* Nam compertum habere, eſt aliquid per inueſtigationem ſcire; id eſt, inquirendo inueſtigando, & percunctando, aliquid ab aliquo conoſcere. potes, etiam delere illud perpetuò.

Bonum

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.143/b

Pag. 5 ver. 42.

Bonum Imperatorem nunquam ad decertandum adduci oportere, niſi vel ſumma eũ neceſſitas cogat, vel egregia occaſio adhortetur. Hic valde friget hæc ſententia. Nam eam in obſidione Numantiæ proculit. Illic collocanda fuit. vbi vim ſuam oſtendit. neque hæc *Scipio triumphum patris cohoneſtauit*, ſuo loco narras ſupra erant ponenda, vbi de Paulli patris victoria commemoras. *ſtudia*. Non puto te negaturum, ea, quæ ſupra commemoraſti de Romana diſciplina, & patria, de Græcis literis, atque Latinis de Grammatica, & Rhetorica, quibus Aemilius filios inſtituendos ambitioſius curauit, pertinere ad ſtudia Scipionis. Si ita eſt, vide tu hiſtoricorum deus, quo iudicio ea diuiſeris, vt inter hæc, & illa de Tyrocinio egeris. quid? non ne etiam non pauca de his ipſis Scipionis ſtudiis pag. 36. vbi de moribus agis, perſequeris?

Pag. 5. ver. 55.

Reliquum tempus omne partim in legitimis ſtipendijs conficiendis partim in rectiſſimis ſtudijs literarum concelebrandis, quantũ perſpici poteſt coniectura, traduxit. Hæc, vt ais eſt, tua coniectura, quæ tamen ex ea parte accipi poteſt, quæ ad ſtudia pertinet; non ad ſtipendia: quæ ſi confeciſſet, aliquid ſine dubio feciſſet, quod eſſet memoriæ proditum. Item, traducere tempus in aliqua re, proponere, & conſumere in aliqua re, non me legiſſe memini: & perſpici coniectura, inauditum eſt, nec iſta vllo modo cohærere poſſunt.

Pag. 6. ver. 3.

Vt cum eo non res domeſticas ſolum, & bellicas communicarit &c. Attende hoſtis Centonum an Ciceronis verborum ſententiam expreſſeris. Quo cum mihi coniuncta cura de Republica, & de priuata fuit: quocum domus fuit, & militia communis. num communicare res domeſticas cum aliquo, & bellicas: eſt idem, quod viuere coniunctiſsimè cum aliquo: & cum eodem militiam exercere? cupio etiam ex te ſcire quid ſit, communicare cum aliquo res domeſticas, & bellicas; & vnde ſumpſeris. Hic tu me pagina 17. reprehendis, primum, quòd, tam amantiſsimè, ſcripſerim: deinde, quòd, eadem eſſent ſtudia, & peregrinationes: quod illud ſit muſitatum: in hoc, ſit pro eſſent, fuerint reponendum hic imperitiam ſimul, & malitiam tuam patefaciam. Cicero de amicitia. Vituperanda, inquit, eſt rei tam maximè neceſſaria tanta incuria. iam recognoſce tuam malitiam viro bono, & literato indignam. mea

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.143/b

verba sic se habent. Tam amantissimè coniunctissimeque viuebat: vt eadem essent studia, vna esset domus, idem victus, isque communis. multis in locis hac citandi turpissima ratione veteris, vt propediem ostendam summo cum tuo dedecore.

Pag. 6. ver 7.

Polybium autem Megalopolitanum &c. Si temporum ordinem sequi volebas, primum de Terentio agere, deinde de Polybio debebas. Hic te reprehendi, quod nihil de Metrodoro scripsisses; idque de sententia Plinii quam tu dicis me non fuisse assecutum; quod Plinius intelligat, duos illos Aemilii liberos ex secundâ vxore suscep tos, & hoc maxime niteris: quòd Scipio tum supra annos septem decim natus esset; & ob eam causam non egeret præceptore. Primum Liuius mendaci te conuincit, his verbis. Scipio decimum septimum tum agens annum. Deinde cum Cicero, Velleius, Plutarchus tradant, tu que etiam de sententia ipsorum scribas opera Polybii, & Panetii domi, & foris Scipionem iam natu grandem vsum fuisse: quæ tua impudentia simul, & ignorantia est, eundem iam domestica, patria, puerilique disciplina, & rhetoricis imbutum Metrodorum habuisse præceptorem, negare? & Paullum ad reliquos duos filios nondum puberes, nec in Grammaticis satis exercitatos tantum Philosophum adhibuisse, contendere? quis igitur preter te dubitabit, Plinium cum omnes Paulli filios, tum verò maximè Fabium & Scipionem intellexisse? quæ cum ita sint, & ego iure te reprehendi, quòd in enumerandis Scipionis præceptoribus Metrodorum præterieris: tuque contradicendo tuam iterum imperitiam patefecisti. Polybium, sine auctore, virum eloquentissimum apellas. nec probo, quod de Panætio ita scribis. *Cum Panætio porrò viro in Stoica disciplina præclaro, & domi; & foris coniunctissime vixit.* Cicero. Tuse: prima vnde tu hæc sumpsisti, sed peruertisti, Panætius, inquit, cum Africano vixit. Tu, *Scipio vixit cũ Panætio.* Sentis ne te Scipionem infamasse? nam cum dicis, *Scipio vixit cũ Panætio*, significas, eum domi Panætii esse assiduè consueuisse; ibique vixisse; cum contra factum sit, vt Cicero tradit, & decorum fuit. Quis etiam tibi dixit: Scipionem sæpè adhibuisse præcepta, & doctrinam Panætii ad res maximas gerendas?

Pag 6. ver. 24.

Ex quo intelligi potest, virum hunc. Hic quæ scribis per sex versus, tua sunt, supervacanea, & oratorem sapiunt. *Ascendere ad fastigium gloriæ, non legi.*

Quarum

Pag. 6. ver. 48.

Quarum rerum si vnum, atque alterum maxime ad commemoratio nem illustre monumentũ attulero abũde me muneri satisfeciſſe meo existimabo. Ad ea quæ alibi diximus, & suo loco confirmabimus hæc addimus; primum, quod & hic ab historicis ad oratores deficis. quid enim ad captandam attentionem, & docilitatem aliud dixisses, aut pollicitus fuisses, si laudationem confeciſſes? Deinde quæ est ista tua impudentia, vt tanquam rebus à Scipione ibi gestis interfuisses, aut ab aliquo scriptore didiciſſes, eum alia permulta edidiſſe facinora, dicas, te vnum aut alterum allaturum? Postremò, quod imperitissimè scripsisti vnum, atque alterum monumentum. nam vnum atque alterum auctore Donato in Andriam Terentii, & Seruio in Virgilium, tria significant; tu duo tantum Scipionis facinora commemorasti; præterea, monumentum est idem quod memoria, literæ, cõmentarii. publicum opus, trophæum ac denique quic quid alicuius rei præteritæ nos monere potest, monumentum dicitur, tu pro facinore posuisti. en historicorum, & iamnè scientium princeps.

Pag. 6. ver. 45.

Legatus L. Lucullo profectus. In Fastis tribunum appellas.

Pag. 7. ver. 9.

Quibus de rebus &c. Reprehendi te, quòd omiseris, coronam muralem. hic addo, quòd prodere neglexisti, quòd tradit Plin effigie illius pugnæ, in qua Scipio barbarum interfecit, eius barbari filiũ quoad vixit, signasse: item Scipionem M. Halienum Pelignum in acie scuto suo protexisse, & gladium hosti in pectus infixisse.

Pag. 7. ver. 20.

Qui tantum iam erat apud Imperatorem auctoritatis adeptus: vt auxilia &c. Nemo tradit, Scipionem ad Massanisam fuisse missum propter adeptam auctoritatem apud Imperatorem. Deinde veram eius mittendi causam fuisse affero, quod erat legatus Lucullo. nam eo munere legati consueuerant in bello fungi:

Pag. 7. ver. 32.

Qua ex re tantum voluptatis accepit, vt sæpè postea glorians dicere solitus fuerit: duos tantum ante se &c. Tu dum arbitratu tuo Græca conuertis, & omnia contaminas, ineptias multiplicas. Causam voluptatis Scipionis eam facis; quòd duo tantum ante se Iuppiter, & Neptunus acies inter se pugnantes, spectarint; & sine

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.143/b

iudicio. nam Appianus eam tradit fuisse; quod Scipio tutus, & omni periculo vacuus eam pugnam spectasset. his verbis. μόνον γὰρ ἔφη, τὸν δὲ τὸν πόνον ἄφροντις ἰδεῖν. id est dicebat, enim se tutum & omni periculo vacuum, illam tantum pugnam spectasse. vt hæc sit verissima Appiani sententia. Scipio dicebat. Se quidem ex aliis certaminibus, quibus postea interfuerat, cepisse voluptatem; sed nunquam tantam, quanatm ceperat è Massanisæ, & Asdrubalis certamine. propterea quòd aliis certaminibus cum periculo vitæ interfuisset: illud vero sine ullo metu, & periculo spectasset. sentis iam quam imperitè scripseris ἀγῶνας ποικέλους significare ludos Romanos? & quam facilè sim te euersurus? sed patefaciamus iam tua in is decem versibus multa, & fœda errata: vt confirmetur, te prorsus Scipionem infamasse. Primum est: quòd eodem die quo Massanisa, & Asdrubal pugnarunt, illuc Scipionem accessisse putasti. 2. quòd à regis filio Scipionem acceptum scripsisti. 3. quòd causam voluptatis Scipionis esse Iouis, & Neptuni spectaculum voluisti 4. quòd, ἀγῶσι ποιχοῖλοις ludos Romanos interpretatus fuisti. 5. quod omisisti pugnam ab aurora, vsque ad noctem à Scipione spectatam fuisse. 6. Massanisam omnem equitatum Scipioni obuiam misisse. 7. Massanisam aliquot filiis, vt Scipionem exciperent, imperasse. 8. Scipionem in variis certaminibus fuisse versatum. 9. Scipionem, vt rem amplificaret, illa de Ioue, & Neptunno sæpè vsurpasse. 10. Massanisam, quòd Scipio esset Africani nepos, eum honorificè accepisse. 11. Scipionem victori Massanisæ occurrisse. 12. vt Massanisam, & Carthaginienses conciliaret, operam dedisse. 13. omnes causas, quibus Carthaginiensibus, cum Massanisa nihil conuenire potuit. 14. Cohortes à Massanisa acceptas in Hispaniam Scipionem traduxisse. 15 quòd sine causa addideris, *vt prope res ipsa cogebat* 16. *Glorians*. 17. *Homero teste*. 18. cum autem fama aduentus eius, totam iam esset Africam peruagata, tanta fuit, iustitiæ illius inter eas gentes opinio. 19. quòd ἐξέδεοντο; *asciuerint*, reddidisti. 20. quòd, *asciuerint*, non propriè vsurpasti. nam asciscere, cum ad personam refertur, significat, accersere, aduocare, sibi adiungere: præterea in verbo Græco sunt præces: in Latino, nescio quid imperii. Adde. quod etiam, vt Centonem, credo, vitares Valerium corrupisti. Valerius enim, disceptatorem: tu *arbitrum*, ille, velut, tu, *tanquam*. ille habuerunt. tu, *asciuerint*. Valerius Consulem: tu omisisti, & vt nihil intactum relinquatur. asciscuntur absentes. Sci-

pio,

pio præsens aderat: Item *de pace asciscere*; non rectè dicitur. cur istam non desinis artem? Pag. 8. ver. 25.

Quibus rebus tantum iam terroris omnibus, simulque tantam virtutis opinionem attulerat, vt Himilco Phamæas strenuus sanè hostium præfectus, qui magno alias incommodo Romanos milites, quoties frumentabantur, affecerat, Scipione copias adducente nusquam se ostendebat. Et hic Orator es, non historicus, cum rei amplificandæ causa epiphonemate vtaris, eoque sine auctore, cum nullus sit, qui tantum illud terroris, & tantam opinionem virtutis attulisse prodat. nec rectè præposuisti terrorem oppinioni virtutis. nam ex opinione virtutis terrorem oportuit nasci. & oratio decrescit. nec tibi constas. hic enim causam, quam ob rem Phamæas nō se ostenderet, terrorem fuisse, & virtutis opinionem affirmas: infra prudentiam Scipionis in exeundo in campos. illa est tua: hæc Appiani. Præterea, vt seruires, credo, laudibus Scipionis, qua re Phamæas incommodo Romanos afficiebat, non exposuisti. Sic Ap. Erat quidem Phamæas Himilco iuuenis, & ad pugnandum audax, is cum præfectus equitum Libycorum esset, & equis veteretur illis quidem paruis, sed cursu velocissimis, herbaque; cum nihil aliud erat, vescentibus, ac sitim cum opus erat, famemque facilè tollerantibus magno erat impedimento & incommodo Romanis ductu Tribunorū in frumentationes, ac pabulationes proficiscentibus. Nam è syluis, & conuallibus, in quibus ia itare consueuerat, ex improuiso, vbi quid negligentius agi videbat, frumentantes inuadebat Romanos, & aliquo illis illato damno e conspectu in tutum euolabat cum nusquam tamen; Scipione id muneris obeunte, prodire audēret. Pag. 8. ver. 35.

Quod animaduerteret; Scipionem non, vt alios, temerè in campos exire, sed certis ante in locis equites, peditesque paratos aduersus hostiles, sicunde emergerent, insidias collocare. Attende quid inter tuam arrogantem, mancam, & obscuram versionem, & Appiani veram, absolutam, & dilucidam expositionem intersit. & non negabis te vnum Scipionem infamasse. Pedites, inquit, Scipio instructos, & equites in equis paratos semper ducebat: ac vbi ad locum, vbi erat pabulandum, atque frumentandum, acie instructa peruenerat: non ante ordines dissoluebatur, quàm equitibus eum peditibusq; circundatum firmasset. quo facto eundem ipse cum quibusdam cum reliquis equitum turmis continenter lustrabat: & si quem

ex

ex frumentatoribus longius vagantem, aut è circulo egressum deprehendebat, in eum grauiter animaduertebat. vnde factum est vt cũ eo Phamæas congredi non auderet, quod in primis metueret cum, atque reuereretur. num tibi videris parum detraxisse, de Scipionis diligentia, & prudentia, neglectis tam multis? nun unico tantum ad uerbio, temerè, Appiani sententiam expressisse?

Pag. 8. ver. 24.

Quod à Scipione inire gratiam cuperet, quocum summa vetustas esset. nemo isthæc tradit, tua sunt somnia. est mihi tecum summa vetustas. nusquam leges. sed cum me hercule in cæteris rebus tuum admiror ingenium, tum verò maximè in appositis, & ad nomen adiunctis, nemo est enim, qui peritius, & loco magis iis vtatur, quam tu.

Pag. 8. ver. 30.

Quin etiam paucis post diebus &c. Huc erant ex Appiano hæc transferenda. Cum verò Libyci in turres, & castella, quibus abundabat ea regio, confugerent: alii Tribuni militum interposita fide dimittebant, deinde tamen in itinere aggrediebantur. Sed Scipio domum eos dimittendos curabat. ex quo nemo Libycorum ante cum Tribunis pactionem faciebat quàm Scipio accederet. adeò iam creuerat illius eggregiæ virtutis, ac fidei opinio, & apud suos, & apud hostes. & paulo infra Pro quo, & reliquis, iã editis, facinoribus, Scipio erat in ore omnibus: vt solus patre Paulo Persei Macædonũ regis imperii euersore, & Scipionibus, in quarum familiam adoptatus fuerat dignus. num præstas quod in iudice polliceris?

Pag. 9. ver. 3.

Iam vero quantum consulem ipsum etiam rei bellicæ prudentia anteiret, aperte ostendit, primum cum ei dissuasit, ne aduersus Asdrubalem ad Nepherim tum castra habentem, contenderet Primum, refers oratorem. Deinde falsum est, Scipionem dissuasisse ante, quam Romani ad flumen peruenissent.

Pag. 9. ver. 6.

Deinde cum eundem admonuit, ne aut flumen quoddam traijceret Hic, vt prudentiæ Scipionis aliquid adderes, permulta prætermisisti, & causas præsertim, quibus Scipio adductus ea dicebat, ab App. sic explicatas. Etiam ab Asdrubale aberant, & flumen quoddam erat traiciendum, & inde ascensu difficili ad hostes veniendũ cum, de reditu agere, & consuli suadere cepit, vt ab eiusmodi absi-

Aeres

steret incepto, quasi opportuniore tempore, aliaque ratione, & apparatu, id esset agendum. sed in primis, cæteris aduersantibus Tribunis, qui illius virtuti, & prudentiæ inuidebant, atque etiam dicentibus, id non prudens consilium, sed animi mollitiem, & ignauiam esse, conspectis hostibus, retrocedere, & esse periculum ne se fugientes hostes insectentur: cum nihil proficeret: iterum suadere conatus est, vt saltem in ripa fluminis exercitus sisteretur, ualumque excitaretur, vt si forte premerentur, & hostium vim ferre nequirēt, aliquem tutum haberent receptum, cum fugæ sibi nullus alius relinqueretur locus. Hæc Appianus. consilium Scipionis duplex fuit, tu triplex fecisti. Primum Scipionis consilium, non fuit irrisum, vt tu dicis, sed improbatum. ordinem Appiani perturbasti; & sic laudibus Scipionis inseruisti.

Pag 9. ver 7.

Per tria fermè stadia ad Asdrubalis castra progressum. Hoc dicendi genus, reprehensum est ad an. DCIII. pag. 97.

Pag 9 ver. 16.

Nam cum commisso trans flumen prælio Asdrubal suas in castra copias reduxit. ô mirum historicum, commisso prælio Asdrubal fugit, sine vlla dimicatione, atque cæde: cum Appia dicat, magnā vtrinque factam fuisse cædem.

Pag. 9. ver. 23.

Tam multos tantis periculis obiciendos. Hic permulta prætermisisti, quæ ineptè prodis in commentario in Fastos, vbi requirebatur breuitas. sed quot erant illa tanta pericula, vt esset opus numero multitudinis? Pag. 9. ver. 25.

Tum Scipio cum exercitum &c. Quæ per quinque versus hic cōmemoras, omnia superuacanea sunt, & sine auctore.

Pag. 9. ver. 34.

Scipio ad trecentos equites, quos secum habebat, alijs, quot maximè potuit, aduocatis, mandauit, &c. Hic permulta reliquisti, & præter cetera, hæc. διελὼν ἐς δύο τοῖς ἐχθροῖς ἐπῆγε σὺν ἀρόμῳ πολλῷ παρὰ μέρος ἀκοντίζοντας τε καὶ ἐυθὺς ἀποχωροῦντας. ideſt. Scipio equites in duas partes diuisos in hostes immisit celeri cursu vicisim tela in hostes conicientes, atque statim secedentes. & hæc sunt tua somnia. *qui fessi iaculando essent, recentes integríque succederent*. Cur fessi? quamdiu pugnauerant, vt esset fessi? præterea, vox integri, cui respondet? sic erat scribendum.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.143/b

bendum, qui fessi iaculando, atque saucii essent recentes & integri succederent. en hominis publicè profitentis iudicium singulare proba etiam te rectè dixisse. *ad trecentos equites mandauit*. dic etiam quare hoc neglexeris. dicebat enim fore, vt dimidia ipsorum pars iaculis hostes semper incesseret, quibus intortis pedem referent. Quod cum crebro, & in loco haud amplo fieret, Afri continenter vulnerabantur, & in Scipionem arma conuertere cogebantur, eóque modo Romanis facilior fluminis transitus dabatur. vbi sunt in Appiano illa tua miracula? *In Scipionem ad omnes partes adequitantem, ac pugnam vniuersam, consilio, ac fortitudine sustinentē.* dices, *concepi*. video te sæpè concepisse, sed monstra peperisse. adeò benè concepisti.

Pag. 9. ver. 55.

At Scipio haud quaquam se passurum testatus viros fortes, subsidij inopia in manus hostium peruenire: paucis equitibus delectis, & commeatu paucorum dierum sumpto, ad hostes profectus diuersis è partibus in eos impetum fecit. Cur permulta, quæ reliquisti, huc è Fastis non transtulisti? At Scipio, ait App. Celeriter, & audacter, strenuis viris laborantibus opem esse ferendam contendebat: docebatque, priusquam aggrediare, prudentia, & consilio opus esse: adductis verò tot viris, ac signis in discrimen, proiecta vtendum audacia. Quare professus, aut eas cohortes incolumes reducturum, aut strenuè pugnando, æquo animo oppeturum, cum paucis delectis equitum turmis, assumptis etiam duorum dierum cibariis, ad tumulum contendit, omnibus de reditu illius desperantibus. quo vbi peruentum est, collem quendam contra eum tumulum, in quo cohortes obsidebantur, quam maximo cursu potuit, occupauit; atque postquam radices vtriusque tumuli, vallemque interiacentem contemplatus est, per eam fertur supra hostes. qui vbi se circumventos viderunt, effusæ sese fugæ mandarunt. En qui seruit laudibus Scipionis.

Pag. 9 ver. 45.

Quibus Tribunis maximè pugnæ placuerat, sententia. App. ὁ τὸν στρατηγὸν μάλιστα ἐπιπεῖσαι ἐς τὴν μάχην id est. Qui Tribuni Imperatorem maximè ad pugnandum impulerant. num est idem Tribunis placuit pugnæ sententia, & Tribuni impulerunt Manilium ad pugnam? ordinem etiam inuertisti. Nam App. Multo antè de morte Tribunorum commemorat.

Quo

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.143/b

Pag. 10. ver. 1.

Quo ex facto &c. Hic, vt maiorem ostenderes Scipionis prudentiam, permulta quæ tradis in Fastis, omisisti. Scipio, inquit, App. hostes, quoniam numero superiores erant, insequi noluit: quòd satis visum est, suos, qui iam de salute desperauerant, ab imminenti periculo liberasse. Pag. 10. ver. 28.

Vt proximis comitijs, quibus L. Piso, & Sp. Posthumius consules facti sunt, consul à multis centurijs diceretur. ad ea quæ diximus in prioribus et ratis tuis in commentario Fastorum pag. 123 & in historia Scipionis pag. 15. hoc addimus, temerè de tuo te addidisse, *proximis, quibus L. Piso, & Sp. Postumius consules facti sunt.* Reliqua cognosces suo loco.

Pag. 10. ver. 33.

Massinissa cum filios malè inter se cõcordes esse animaduerteret. App. οὐδὲν τὰ ἔργα ἀλλήλοις ἐοικότας. id est, moribus, ac studijs inter se dissimiles, quod ipse infra confirmas, cum prodis, Micipsam pacis studiosum fuisse: Gulussam bellicosum: Manastabalē iustitia excellentem. Pag. 10. ver. 50.

Possessiones ijs quidem assignauit, App. ἑτέρας δορείας, id est, alia dona. ostende tu illas possessiones.

Pag. 10. ver. 51.

Legittimos verò Thesauris, ac vectigalibus, & regio præterea nomine peræquè omnes affecit. App. ἀπέφηνε. id est, pronuntiauit. tu *affecit*. nusquam leges afficere thesauris, vectigalibus, nomimiautem regio leges; sed is afficit qui appellandi regis potestatē habet: non is, qui alienam hæreditatem diuidit, & nomē regium omnibus cõmune relinquit. Pag. 10. ver. 55.

Quin etiam Gulussam. Hic omisisti auxilia, quæ secum duxit Gulussa. Pag. 10. ver. 65.

Id que hoc modo administratum esse accepimus. Parate vos lectores defatigati. Sigonius renouat attentionem, quod artificium nõ nouit App. & *accepimus*, ait, vt maiorem fidem adhibeatis. Sed dic, à quo accepisti, & eris mihi magnus Apollo.

Pag. 11. ver. 7.

Iacet inter duos montes vastissima quædam vallis eiusque ab vna parte Phameas, ab altera Scipio per tramites quosdam ducebat. Attende quam longè aberraueris à sententia Appiani. Iter, inquit, aliquando Scipio, & Phamæas ita faciebant: vt alter contra al

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.143/b

terum iret; sed inter vtrunque vallis erat inuia, & accessu difficilis vtalter alterum nec inuadere, nec offendere vllo modo posset. quam ridicula est illa tua discriptio? quasi vallis esse possit, quæ non sit inter duos montes. sed quæ nam erant illæ partes vastissimæ tuæ vallis? quis vnquam ex tuis verbis percipiet, quomodo, iter facerent? qui nam erant illi tramites?

Pag. 11. ver. 16.

Sed vt hoc fieri posit, profecto vides. App κρινῶ δ' ἔφη κἂν δυνατὸν ἡγοῦμαι φανερὸν ἔσται σοι. id est. deliberabo, inquit, & si fieri posse putabo, manifestum erit tibi. num est causa, cur tantopere intumescas? Pag. 11. ver. 20.

At cum cæteris ducibus in medium progressus, quasi alia magna de re verba facturus. Ap. μετὰ τῶν ἀλαρχῶν, cum turmarum præfectis. tu *cum cæteris ducibus*. Ap. ὡς ἐπὶ τινὰ σκέψιν ἑτέραν. id. tanquam ad aliam quandam considerationem: tu, *quasi magna alia de re verba facturus*. ô admirabilis græcarum literarum cognitio hominis quinquagenarii.

Pag. 11. ver. 20.

Nuncius quidam è Gulussa exercitu epistolam Scipioni reddidit. App. ἐπιστολὴν δέ τις ἐκ τῆς γιλόσσου στρατοῦ ἤνεγκε. id est. epistolam autem quidam ex Gulussæ exercitu attulit Scipioni. Nuncius Latinè non dicitur qui fert epistolam. Hæc neglexisti. quam obsignatam, vt erat duci legendam tradidit. nihil ne hæc pertinent ad prudentiam Scipionis?

Pag. 11. ver. 22.

Hodie ad locum illum veniam, vbi collocuti sumus tu fac, vt quibuscum tibi visum fuerit præsto sis. Ne verbum quidem in Græcis versatissimè, Appiani es' assecutus. ἐς τήνδε τὴν ἡμέραν ἐγὼ μὲν τόδε τὸ χωρίον καταλήψομαι σὺ δὲ ἐλθὲ μεθ' ὅσων βούλει, καὶ τοῖς προφύλαξιν εἰπὲ δέχεσθαι τὸν νυκτὸς ἀφικνούμενον. ad talem diem ego quidem talem occupabo locum tu verò veni cũ quot vis, & excubitoribus dicito, vt accipiant noctu ad se venientem. & audes te omnibus literatis præferre?

Pag. 12. ver. 36.

Iamque perterritos Pœnos insequens portam vrbis intrauerat, cũ iminente nocte ad quam pugna perducta erat. Hæc omnia quã sine iudicio, & imperitè scripseris, quamq; multa neglexeris, & hic, & in Fastis disce ex hac mea Appiani versione. Pœni contempta Romanorum

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.143/b

norum paucitate, portam ad eas rupes ferentem aperuerunt, & in Romanos impetum fecerunt, At Romani fusis, fugatisque Pœnis in vrbem vna cum illis irruperunt. Iamque sol ad occasum peruenerat. cum Romani occupato iusta murũ loco quiescebant. *Mancinus* ais, *admotis scalis vrbem ingredi conabatur*. quid rerum gesit? *perterritos Pœnos* inquis, *insequens iam portam vrbis*. admouet scalas, & te narrante, persequitur Pœnos, & portam intrat. mira quidem breuitas. vbi nã erant illi Pœni perterriti, quos insequebatur? cum admouit scalas, porta nonne erat clausa? quis eam aperuit? qui, & quibuscum vrbem intrauit? quis dicit pugnam ad noctem fuisse perductam? & ausus es scribere, te eo vno commentario dignum fuisse iudicatum, qui in locum Robortelli viri doctissimi subrogarere? ô insolentiam inauditam.

Pag. 13. ver. 9.

Iterea Pœni ex muris per stadia quinque progressi, vallum iaciũt. Illud, *interea*, quo spectat? progredi per quique stadia, est tuum dicendi genus. App. τῶν τειχῶν ἐς πέντε σταδίους προελθόντες. ad quinque stadia à muris progressi. ἀντώρυξαν αὐτῷ χάρακα. *vallum iaciunt*, vertisti: vt nescias quo in loco. cum ipsa verbi compositio, Pœnos illud vallum contra Scipionis castra iecisse, ostendat.

Pag. 13. ver. 15.

Scipio autem cum exercitum à Pisone acceptum auaritiæ, ac desidiæ deditum, atque omnibus probris ignauia Pisonis affectum animaduerteret, ante eum sibi emendandum esse constituit, quam ad pugnam aliqua ratione descenderet. Itaque concione aduocata, omniumq; ordinum centurionibus adhibitis, &c. Iudicet æquus lector de vtriusque nostrum versione. Scipio cum nullam in militibus à Pisone acceptis inesse modestiam, nullum ordinem, nullam obedientiam animaduerteret: sed ignauiæ, auaritiæ, rapinisque Pisonis indulgentia omnino deditos: & interdum cum iis magnam institorũ multitudinem versari, qui prædæ causa sequentes audaciores è castris iniussu consulis abeuntes (cum lex innumero hostium referet eum, qui longius discessisset, quam tubæ sonum audire posset) rapinas exercebant: quæque hi deliquissent, ea in exercitum conferri: & quæ rapuissent, noui certaminis, ac mali principium esse, cum multi prædæ socios vulnerarent: hos sibi paucis esse monendos, & castigandos putauit. intelligebat enim hostes difficilè ab eo, qui milites dicto audientes, moderatos, atque continentes non haberet,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.143/b

ſuperari poſſe. Quare, aduocata concione in editum quendam locum aſcendit, atque ita milites reprehendit: non poſſum Sigoni non ex te querere, omiſsis cæteris, vnde nam erueris tuos illos centuriones omnium ordinum.

HAEC ſunt, quæ iterum in treſdecim paginis tui Aemiliani animaduertere placuit. reliquis enim prodendis in præſentia ſupersedere volui: vt quam primum tuas confutem calumnias: & errata, quæ tam puerliter, & imperitè tueri conatus es, & vtriuſque linguæ ignorantiam confirmem. His abſolutis, tibi, quod reliquum eſt promiſsi mei, diligentiſsimè perſoluam. Nam à me vtrunque, & vt ſine mora, vt par eſt, tibi reſpondeam, & reliqua perſequar, ab optimis viris, & literatiſsimis efflagitari, & literis multorum, & ſermone omnium, ad me perfertur.

LECTORI.

CAVSAS habes humaniſsimè Lector, quibus impulſus iterum aduerſus Sigonium ſcripſerim. Hic quidem homo is eſt Suffenus: vt non ſolum nimium ſibi placeat, ſua miretur, ac magnificè de ſe prædicet: ſed eos etiam, à quibus non ſuſpicitur, colitur; & in cœlum laudibus effertur: omes in numerum inimicorum, hoſtiumq; referat: ſchedulis famoſis ſpargendis, literis conuitiorum plenis clã ſubminiſtrandis, ac ſine ſuo nomine mittendis, annotationibus denique, & libris alieno nomine edendis infectetur aſsiduè, planeque dilaceret. Tanta porrò ſuperbia, & arrogantia: vt cum literatiſsimos quoſque huius memoriæ viros omnino deſpiciat, ac hominẽ diſertum præ ſe ducat neminem: tum optimos omnis antiquitatis auctores: dum ipſe res eaſdem melius, elegantius, concinnius aptius, atque rotundius explicare poſſe, ſibi perſuaſit, omnes mutando, addendo; detrahendo, & loco mouendo ita perturbarit, atque labefactarit: vt eos in ordinem redegiſſe, ac prorſus infamaſſe videatur. Quam verò vim latinorum verborum, vſumque teneat, ſatis iam ex iis, quæ adhuc in illum edidimus, eſſe perſpicuum arbitror. At de hiſtoriæ cognitione, eiuſque ſcribendæ facultate, in qua multis præter cæteros excellere viſus eſt, quoque vna vbique tantopere ſe iactare, & tanquam cupreſſum inculcare conſueuit, ita ſentio: Eum, etiam ſi quicquid ab vrbe condita vſque ad mortem Auguſti

geſtum,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.143/b

gestum sit, planè teneat, ac memoriter narrare possit. id quod etiã permulti passim mercatores,& homines imperiti bellissimè faciunt tamen ad alia potius omnia natum factumque videri, quam ad historiam scribendam cum ex aliis illius scriptis: tũ vero ex hac quàm falsò Scipionis Aemiliani historiam appellat, cum potius imperfecta, ac inepta quædam laudatio dici possit, quaque vna gloriatur, se Venetiis dignum iudicatum fuisse, qui in locum Robortelli viri admirabili ingenii prudentia, ac celeritate, solida, cumulataque omnium ingenuarum artium cognitione, subrogaretur, colligi facilè potest. Nulla est enim ibi periodus, in qua leges historiæ seruauerit: adeò ordinem perturbauit, & nunc minuendo, nunc nimis amplificando, & commemoratione dignissima omittendo, omnia corrupit, mendacisque refersit. Vt mirum mehercule sit, hominẽ quinquagennarium, ac tot annos publicè interpretandi munus obeuntem in opere tam paruo, & omnium postremò tot, ac tam fœdos errores committere potuisse. Quanquam velim scias, Sigonũ annis iam duobus, & viginti Mutinæ hunc eo modo, quo dicetur alibi, commentarium scripsisse, & annis septem post, sine vllo iudicio totum in Fastos coniecisse. vbi &si infinita penè conspiciuntur errata; maior tamen in hoc inde iterum conflato libello antiquitatis explicandæ inscitia, longeque plura, ac turpiora flagitia deprehenduntur: vt diceres, eum hos ipsos xxii. annos nihil progredi, sed retrogradi didicisse de more Scarabei fætidum opus auersis pedibus voluentis, ac impellentis. Quæ quidem omnia &si adhuc apertissimè demonstrauit, longè tamen apertius, & vberius alio meloco demonstraturum sanctè polliceor, ac in me recipio. Vt omnes, qui ad hunc vsque diem Sigonium antiquitatis quasi parentem putarunt: eo diutius in errore nõ versentur; simulq; quanti eius doctrina facienda, quantaque scriptis eiusdem fides sit adhibenda statuant; & ipse iam tandem hac vna re insolentius iactare se, desinat: & illud Plautinum semper meminerit: cornutam bestiam. Tu verò lector candide, mihi ignosce, siquid in eum asperius dixisse tibi videbor. is enim culpam sustinet: qui me verbis contumeliosissimis lacessiuit, cum ego in primis illius erratis leuissimis vsus fuerim cum mea sponte, tum ipsius rogatu, vt ex hac epistola ad me lingua materna scripta cognosces.

MOLTO

MOLTO MAG. S. MIO OSSERVANDISS.

HO riceuuto il vostro Scipione con la Lettera. nella quale vi mostrate molto alterato verso di me, perche io habbia stampata quella vita che feci già. ne so perche, essendo che in niun conto vi pungo, o accenno. Se voi dunque volete sfogarui per altro rispetto, fate (come altre volte v'ho detto, o scritto) come vi pare. ma vi prego per l'amor di Dio, siate, come sete, modesto nello scriuere, & prouatemi poi che sia il maggior asino, o bestia, che viua, che infin ad hora vi perdono. & vi prometto di non vi rispondere. tanto è il rispetto che vi voglio hauere. & questo sia detto, se bene ho compreso la sententia della vostra Lettera, la quale mi par minacciare. se non è così, sia per non detto. Vi ringratio della laude laquale mi hauete data. saluo se non è vna di quelle bugie che scriuete hauer scritte di me, & che volete leuar via, Io per me, se voi vorrete scriuere nelle materie, nelle quali io ho scritto, nel modo che ho fat' io, non solamente non mi turberò, ma vi ringratierò. Vi bascio la mano. In Bologna il 9. di Nouembre. 1569.

Tutto alli seruitij vostri prontiss. Carlo Sigonio.

Dixi supra te hanc Scipionis historiam coniecisse in Commentarium Fastorum: & sæpius hic quam illic lapsum fuisse: quod, vt an, verum sit, cognoscatur, duos huc tantum locos trasferam alterum ex Fastis, alterum, ex hoc libello, vt ex vtriusque collatione appareat acies ingenii tui, & exquisita doctrina. adiungam etiam meam Appiani versionem, ut lectori minuatur labor.

Ex Commentario in Fastos pag. 79.

Consules cum re sæpius tentata nihil adhuc efficere potuissent, tandem commodissimum rati futurum, si per quandam murorum partem, quæ paulò ante deiecta nondum probè fuerat restituta inuaderent, ea omninò ex improuiso irrumpere constituerunt. At verò Scipio cum Pœnos cognito consulum consilio suos ita disposuisse audisset, vt alij armati Romanorum impetum sustinerent, alij inermes ligna, & lapides in eos ingredientes ex loco superiore conijcerent, maximum, quod Romanis militibus. iminere periculum prouidebat, sibi esse propulsandum censuit. Itaque cum cohortes suas in plures partes distribuisset, easque non procul à muris ex in-

teruallo

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.143/b

teruallo constituisset, datis mandatis effecit, vt non eos solum, qui in vrbem irrumpere, sed illos etiam, qui lacessentibus instare hostibus cuperent, à certamine cohiberet. In epitoma Liuiana scriptum inuenio, hanc consilij temeritatem non consulibus tribui, sed duobus tribunis, qui cum neglectos ab vna parte muros, cum cohortibus inuasissent, & ab hostibus grauius caderentur, à Scipione esse potissimum conseruatos. ab eodemque castellum Romanorum, quod nocte oppugnabatur paucis equitibus adiuuantibus liberatum. Ad hæc verò cũ Censorini discessu, qui Romam comitiorũ causa decesserat, maioribus animis Pœnis sumptis sũma vi ex vrbe silẽtio noctis egressi castra Romanorum infesta redderent, Scipio è portis castrorũ egressus ijs, quæ longius à prælio aberant, cũ impetum in Carthaginienses fecisset, eos tum repentina eruptione adeo exterruit, vt ex templo castra Romanorũ reliquerint, & intra mœnia se receperint.

Ex lib. de vita, & rebus gestis Scipionis Aemiliani pag. 7.

Cum consul oppugnatione vrbis sæpè frustra tentata per quandam murorum partem, quæ paulò ante deiecta non dum probe fuerat restituta, ex improuiso irrumpere cogitasset, ac Scipio Pœnos prærepto Imperatoris consilio suos ita disposuisse audisset, vt alij armati Romanorum impetum sustinerent, alij inermes ligna, & lapides in eos ingredientes ex loco superiore conijcierent, quin maximum propulsaret periculum, quod suis iminere prouidebat, haud sibi esse cunctandum censuit. Quare cum cohortes suas in plures partes distribuisset, easque non procul à muris ex interuallo constituisset, datis mandatis effecit, vt non eos solum, qui in vrbem irrumpere, sed illos etiam, qui lacessentibus instare hostibus cuperent, à certamine cohiberent. Quanquam apud Liuium inuenio hanc consilij temeritatem non consuli ascribi, sed duobus militum tribunis, quos ille scribit, cum neglectos ab vna parte muros cum cohortibus inuasissent, & ab hostibus vehementer premerentur à Scipione esse potissimum conseruatos. Cui illam etiam deberi laudẽ adiungit, quod paucis equitibus adiuuantibus, castellum Romanorũ nocturna oppugnatione liberauit. Post autem cum Pœni summa vi ex vrbe silentio noctis egressi castra Romanorum adorti essent, vnus item extitit Scipio, qui subito consilio salutem attulerit. Etenim è portis castrorum egressus ijs, quæ à prælio longius aberant, cum impetum in Carthaginienses fecisset, illos repentina irruptione ita perterefecit, vt extemplo relictis castris intra mœnia se receperint.

Deiecta

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.143/b

Sic. Appianus in Libyca. & Liui. lib. 49.

Deiecta quadam parte muri à consule Censorino, campus late patens, & ad pugnam aptus intus apparuit : vbi Carthaginienses constituti fuerant milites, partim in fronte armis instructi, alii post hos lapidibus, & lignis muniti, permulti etiam in ædificiis ipsi campo imminentibus, dispositi, expectabant, vt Romani irrumperent. Romani vero milites orta luce, præter quam quod illuc irruere cupiebant, vbi videre se ab inermibus contemni, alacriter in eos impetum fecerunt. Scipio vero tunc Tribunus se continuit, suis cohortibus in plures partes diuisis, & iis iuxta murum, ex interuallo collocatis, & suos ingredi in vrbem prohibebat, & ingressos excipiens ab hostium vndiq; prementium impetu tutos reddebat. Quare nomen eius magna esse cœpit apud omnes gloria, cũ militibus consulendo prudentior ipso consule videretur. Castellum quoq; Romanorũ nocte ab hostiũ incendio liberauit. Non multo post discessu Censorini (Romam ad magistratus rogandos profectus erat) audaciores facti noctu vrbe eggressi sunt partim armati, alii inermes, asseres tantum ferentes : quos cum proximæ Manilii fossæ iecissent, strenue, vallum diuellere, ac perrumpere cœperunt. Quare perterritis, quòd nox erat, Romanis, Scipio ea porta quæ longius ab hostibus, & prælio aberat egressus cũ equitibus Pœnos perterruit, & intra mœnia sese fuga recipere coegit. Quo egregio facinore Romanis in tanta trepidatione iterum saluti ea nocte fuisse vna omnium voce ferebatur.

Primum videamus quid in vtroque loco addideris : deinde quid ademeris : tertio loco quoties lapsus fueris. Hæc in Fastis addidisti.

Consules cum re sæpius tentata, nihil adhuc efficere potuissent, Tandem commodißimum rati futurum, si per quandam murorum partem, quæ paulò ante deiecta nondum probe fuerat restituta inuaderent, ea omnino ex improuiso irrumpere constituerunt. At verò Scipio cum Pœnos, cognito consulum consilio, suos ita disposuisse audisset, vt alij armati Romanorum impetum sustinerent, alij inermes ligna, & lapides in eos ingredientes ex loco superiore conijcerent. Datis mandatis.

Sed illos etiam, qui lacessentibus hostibus instare cuperent à certamine cohiberent.

Summa vi. Repentina eruptione. Extemplo castra Romanorum reliquerint.

In

In Vita eadem, & hæc amplius.

Cui illam etiam deberi laudem adiungit.

Vnus item extitit Scipio qui subito consilio salutem attulit.

Hæc omisisti in vtroque loco.

Campus late patens, & ad pugnam aptus intus apparuit.

Permulti etiam in ædificiis ipsi campo imminentibus dispositi expectabant, vt Romani irrumperent.

Quare nomen illius magna esse cæpit apud omnes gloria, cum militibus consulendo prudentior ipso consule existimaretur.

Iam videamus quoties lapsus sis.

Re sæpius tentata non est verum.

Probè fuerat restituta. App. οὔπω τελέως ἐγγεγεμένου. id est. nec dum refectum. aliud est aliquid non esse probe refectum, & aliquid non esse refectum.

Constituerunt. Ergo non irrumperunt. nam constituere irrumpere non est irrumpere. neque semper, qui aliquid facere constituit, facit, summa hæc est, ex tuis verbis, non apparet Romanos illuc ingressos. in vita verbum mutasti, peiusque reposuisti, *cogitasset*. multa enim cogitamus, quæ non statuimus neque facimus *Cognito consulum consilio*. hoc non dicit Appianus neque verum fuit. in vita eodem errore, *præcepto consilio*, dixisti.

Audisset suos ita deposuisse. neque hoc factum est, neque debuit fieri, cum Scipio videret, quomodo Pœni erant dispositi.

Alij inermes ligna, & lapides &c. Non ne iam milies dixi te carere iudicio, & ignorare vim latinorum verborum? si appellatione armorum, & telorum continentur ligna, & lapides, non dicitur is inermis, qui ligna, & lapides gestat. nec lignis erant armati Pœni, vt ea conicerent; sed vt eis percuterent hostes.

Ex loco superiore conicerent. ostende tu hunc locum superiorē. *iminere periculum prouidebat*. imperitè. prouidere enim pertinet ad futurum. Romani iam cum Scipio id consilii cæpit, erant in periculo. vnde etiam id verbum cum præsenti tempore modi infiniti non potest iungi, tu tamen dixisti *iminere prouidebat*.

Datis mandatis. neque hoc est in Appiano, vt demonstratū est, nec rectè dicitur dare mandatum alicui, pro iubere, vel imperare, vt alibi ostendimus.

Qui lacessentibus hostibus, non lacessebant Pœni, sed lacessiti à Romanis se defendebant.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.143/b

Instare lacessentibus hostibus, pro resistere, non probo.

A certamine cohiberent. omni prorsus prudentia Scipionem spolias cum. dicis eum à certamine prohibuisse suos, qui ab hostibus præmerentur.

Duo Tribuni cum neglectos ab vna parte muros cum cohortibus inuasissent &c. Liu. lib. 49. Cum neglectos ab vna parte muros duo Tribuni temerè cum cohortibus irrupissent, & ab opidanis grauiter cæderentur à Scipione Africano expliciti sunt. Non discedis à tua consuetudine corrumpendi. Liuius temerè irrumpissent. Tu, *inuasissent*; quasi idem sit. ille oppidanis tu *hostibus*. ille grauter. tu *grauius*. Liuius, expliciti sunt; tu *potissimum conseruatos* Atq; ita semper aliquid minus, vel maius dicis, aut detrahis, aut addis. dum vis reddere verbum verbo. quòd de sententia omnium doctissimorum vix fieri potest sine reprehensione.

Silentio noctis, imperitè. App. *νυκτὸς*. id est nocte. Noctis silentium apud latinos certum noctis tempus significat, & pro nocte intempesta ponitur. Græcum autem verbum nullum certum tempus statuit.

E portis castrorum; ex vna tantum porta egressus est Scipio. etiã si Appianus habeat *κατὰ πύλας*. nam Græci scriptores huius nominis vtuntur libentius numero multitudinis pro numero vnitatis.

Et hæc sunt tua in xxv. versibus errata in Cõmentario Fastorũ. hæc eadem in Vita etiam commisisti, & quædam alia. Nam illic *statuerant*, scribis. hic, *cogitasset*. vtrunque male. sed plus est in statuere, quam in cogitare.

Nam consuli ascribi. in Fastis *non consulibus tribui*. nullus est qui soli Manlio id tribuat.

Sed duobus militum tribunis in Fastis melius. *duobus tribunis*. *Vehementer premerentur*. In Fastis *grauius cæderentur*. vtrunque malè. sed in Fastis melius. nam multo plus est grauius cæderentur, quam vehemẽter premerentur.

Potissimum. Potisimum dicitur de pluribus. ergo alii quoque conseruare Tribunos conasti sunt: quod nullus scribit, sed in primis Scipio id te auctore fecit. sed auctore Liuio, solus Scipio.

Iam puto ex hac vnius loci collatione perspicuũ esse te verè imitatum esse canerum retrogradientem. vnde illud semper in ore habeas censeo. quarta luna natus. quid, si reliqua tua scripta ad hanc rationem excutio? non ne ad salsamentarios & sconbros deferentur?

Herbesus

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.143/b

PERTVRBATE, NOVE, INVSITATE ET NON propriè scripta.

ERBESVS *receptum* pag. 5
Deprehensis nauibus pag. 8
Supplicantibus pacem pag.12
Megalenses, pro Megalesia. pag.16
Pleminius translatus Romam. pag.17
Conuenire ad conditiones pacis. pag.19
Peregrè. pag.26
Peruenissent ad castra Annibalis per tria stadia. pag.26
Ad eos adoriendos pro ad se. *ibidem*.
Grauioribus laudibus, & grauioribus præconiis ibidem.
Diremptо prælio ad noctem. pag.27
Recollecto exercitu. pag.28
Tantum abfuit, vt assequeretur: vt dum incautius se in hostes infert, in insidias præcipitauerit. pag.29
Excitis obsidibus, transfugis, talentis. pag.31
Auxilio Numantinorum venire. pro Numantinis pag.32
Reducere Exercitum in castra pro fugere. Græcè φεύγων. nunquam enim antea in iis fuerat castris. pag.32
Hispanienses tumultus pro Hispanos. pag.32
Recipere se Chalcidem. pro naugare. Græcè ἀνάπλευσε. pag.33
Neutrum. pro neutram partem, vel neutros. pag.37
Simulato colloquio. de vno tantum. pag.38
Proditore amico. de eo Romano qui Mitridate occidere voluit qui proditor dici non poterat pag.38
Mandata facere. pag.38
Instruendos ingenuis disciplinis, atque honestis artibus. pag.45
Aliquanto. pag.45
Anteire domesticam gloriam alicuius. pag.46
Conferre se in Corneliam familiam. de adoptato. pag.46
Aemilia, & Cornelia familia. pag.46
Illius, pro sui. pag.46
Vsu, & ratione comperta pag.48
Traduce tempus in studiis. proponere, & consumere. pag.49
Perspici coniectura. pag.49.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.143/b

Communicare res domesticas, & bellicas cum aliquo. pro vinere coniunctissime cum eo, & militiam exercere pag. 49

Ascendere ad fastigium gloriæ. pag. 50

Vnum, atque alterum monumentum. de duobus pag. 51

Monumentum. pro facinore. pag. 51

Asciscere aliquem arbitrum de pace. pro rogare aliquem præsentem, qui de pace conciliandā agat inter aliquos. pag. 52

Est mihi tecum summa vetustas. pro summa amicitia. pag. 54

Ad trecentos equites mandauit. pro trecētis equitibus imperauit 56

Per tria stadia ad Asdrubalis castra progressus. pag. 97

Sententia pugnæ Tribunis placuerat, pro Tribuni ad pugnam impullerant. 98

ERRATA.

Ver. 8. verti, vertit. 27. ipse, ipsi. multos, multis. 32. iustruxissent, instruxissent. nun, num. per difficilem, perdifficilem. CCCXXXII. CCCXXXVII. 33. in Chalcidem. Chalcidem. 36. comeatu, commeatu. equitorum, equorum. 37. inuitos, inuitus. 40. Barbaris, barbari. Magis, regis. 41. colligisse, collegisse. 42. atquo, atque. 44. successiuis. succisiuis. 47. tante, tantæ. 52. 53. his. 54. iam ab Asdrubale aberant. iam ab Asdrubale CCC LXXV. passus aberant. 60. quoque, quaque. 61. postremò, postremo.

Lucæ apud Vincentium Busdracum

1570.

Cum licentia superiorū.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.143/b